DE

TI. CLAVDIO CAESARE GRAMMATICO

SCRIPSIT

FRANCISCVS BVECHELER

PRAEFATVS EST

FRIDERICVS RITSCHELIVS

ELBERFELDAE

R. L. FRIDERICHS

SVMPTVS FECIT

A. MDCCCLVI

ELBERFELDAE EXPRESSIT SAM LVCAS

DE

TI. CLAVDIO CAESARE

GRAMMATICO

SCRIPSIT

FRANCISCVS BVECHELER

PRAEFATVS EST

FRIDERICVS RITSCHELIVS

ELBERFELDAE

R. L. FRIDERICHS

SVMPTVS FECIT

A. MDCCCLVI

Claudius irrisus privatae tempore vitae
in regno specimen prodidit ingenii.

Avsonivs

FRIDERICVS RITSCHELIVS

S · D

THEODORO MOMMSENO GVILELMO HENZENO.

Quod uestris nominibus ego ornare libellum non a me factum institui, eius consilii cum miraturos uos nouitatem suspicor tum rationem confido in bonam partem interpretaturos. Enimuero scire uos uolo industrium in primis librarium Elberfeldensem, ubi ei dignum uideri qui in publicam lucem prodiret hunc de Ti. Claudio grammatico commentarium significaui, oblatam sibi condicionem hac lege accipere, ut aliquid illi commendationis (sic enim sibi persuasit) e mea aliqua praefatione accedat. Quod unde uel rectius uel efficacius quam e uestra gratia et auctoritate petam, coniunctissima ea et cum meis commodis et cum salute ipsa rei epigraphicae, ad publicam autem existimationem ualentissima? Igitur aequi bonique consulite quae uobis, ut e rei ueritate dicam, non tantum nunc mittuntur suscipiendi patrocinii caussa, sed eisdem etiam scripta sunt: ut ad quorum potissimum exempla hic se strenuus adulescens gnauiter conformarit quibusque studiorum suorum fructus praeter ceteros probare cuperet. Qui si uobis quoque de communibus litteris non male meruisse docta et subtili disputatione sua uidebitur, facile puto ueniam eorum inueniet si quae forte — quae tamen esse pauca uideo — paene nimia subtilitate rimatus est. Non uos fugiet cogitare me de ea commentationis parte, qua Claudianarum usum litterarum certis annorum finibus circumscriptum ad tam seueram normam et tamquam formulam reuocare studuit, ut meo sensu et insuetorum nouo instituto lapidariorum indiligentiae paullo minus quam debuit tribueret, et tamquam aliqua necessitate initae semel ratiocinationis coactus quasdam con-

iecturas proponeret suapte natura remotiores a simplici probabilitate. Velut haud scio an non magis a uobis quam a me illud sit impetraturus, ut in uir et pontifex uocabulis, de quibus dixit p. 33, eam *i* uocalis pronuntiationem, quae media fuit inter *i* et *u* sonum, dumtaxat aut posterioribus aut prioribus saeculis inualuisse credamus, ab ipsa autem Claudiana aetate prorsus exclusam esse, perquam id sane mirabiliter. Vel ut adulterinorum, quos prudenti diffidentia indagatos merito damnauit, titulorum societate etiam tales quosdam comprehendamus qui, absque Claudiani inuenti difficultate esset, suspicandae fraudis sat iustam caussam uix praebituri erant. Verum haec et si quae horum sunt similia cum leuia esse intellegitis prae eis quae nitent plurima, tum ita comparata ut a ratione artis acieque iudicii in ipso errore (si modo est error) aliquanto plus laudis habeant quam plurimorum, qui in hoc genere elaborarunt uel laborarunt potius, cogitandi ignauia inersque credendi patientia. Vnde fit ut non minore iure uidear nunc FRANCISCVM BVECHELERVM propensae uoluntati liberalique curae uestrae commendare quam ex eadem hac disciplina Bonnensi nuper ad uos dimissum AEMILIVM HVEBNERVM, expertae uobis industriae ac sollertiae iuuenem: cuius ille uirtutem nulla dubitatio est quin felicissimo successu aemulaturus sit. Nam aut fallor aut ad tanti operis, quantum una cum praestantissimo IOANNE BAPTISTA DE ROSSI molimini, immensitatem haud inuiti olim consiliorum administros sociosque laborum asciscetis, modo et cetera bene cordati sint solidaque disciplina formati et in epigraphicis studiis monstratas a uobis uias sectaturi. Ergo si quid mea apud uos oratio ualet, illum amare incipite, me autem amantissimum uestri pergite. Valete. Dat. X. Id. Mai. Bonnae.

Quantum ad Latinam linguam conformandam atque excolendam inde ab antiquissimis temporibus grammaticorum valuerit ars et doctrina, nostra demum aetate patuit, qua singulas literarum Latinarum commutationes a literatis singulis factas esse perspeximus. Sp. enim Carvilius Rugae lib. et G consonantem in literarum ordinem adscivit et ex O et E vocalibus in V et I sonos vicissitudinem videtur effecisse. Ennius hexametro versu a Graecis adsumpto geminavit consonantes. Attius A E V longas AA EE VV scripturis expressit, in I longae vicem EI substituit, V vocali Q praeposuit pro C aut K. Lucilius Attio adversatus aliam esse I tenuem voluit quae sola I litera, aliam I pinguem quae aut una I aut EI literis scriberetur. Iulium Caesarem non modo probabile est in morem apices perduxisse quibus productio vocalium notaretur, sed etiam declinandorum verborum formas novasse comperimus. Haec exempla et similia si spectamus, non mirum nobis videbitur quod Ti. Claudius Caesar, homo 'neque infacundus neque indoctus, imo etiam pertinaciter liberalibus studiis deditus', linguam Latinam excolendi studio incensus novis literis auxit. Quod cum Suetonius rettulit Claud. XLI 'Novas etiam commentus est literas tres ac numero veterum quasi maxime necessarias addidit, de quarum ratione cum privatus adhuc volumen edidisset, mox princeps non difficulter obtinuit ut in usu quoque promiscuo essent', tum Tacitus, cui digna res visa est propter quam ad literaturae originem historiamque degrederetur, annal. XI 13 'ae novas literarum formas addidit vulgavitque, comperto Graecam quoque literaturam non simul coeptam absolutamque' et XI 14 'Quo exemplo Claudius tres literas adiecit e. q. s.' Verum Claudii inventa quamvis utilia literis Latinis fuissent tamen non aeque atque Carvilii et Ennii et aliorum permanserunt. Nam cum quos supra dixi grammatici ne Caesare quidem excepto ea potissimum auctoritate sustinerentur quam studiis

artium atque doctrina sibi constituerunt, Claudius maxime Augusti nomine potentiaque imperatoris ut inventa sua quoad regnaret in usu essent obtinuit. Deinde quia multis rebus publice gestis insanum se Claudius et amentem praestabat, etiam ea quae bene scienterque fecit contemnebantur et pro nihilo ducebantur. Tum Augustea aetate ad eam Latina lingua absolutionem perfectionemque perducta erat, ut nunquam postea singulis contingeret viris gravitate vel auctoritate pollentibus, ut si quae corrigebant ea more recepta inveterascerent.

Claudianae literarum formae postquam a superioribus philologis partim neglectae omnino partim perquam breviter perstrictae sunt, ut accuratius aliquanto investigarentur, philosophorum in Bonnensi academia ordo nuper proposita 'de Ti. Claudio Caesare grammatico et antiquario' quaestione auctor fuit. Cuius solvendae periculum facturus quem libellum conscripsi, cum ornatus praemio sit, emittere nunc in vulgus eo minus dubito, quod fortasse aliorum qui circa grammaticam et epigraphicam artes versantur studia concitabit, quibus ut ab omni parte res transigatur opus est. Siquid vero in hoc libello boni inest, id omne profiteor Friderico me Ritschelio debere, qui cum sana disciplina grammatica huiusmodi argumenta qua ratione tractanda forent me instituerit, tum idonea ad hanc ipsam quaestionem subsidia benigna mihi liberalitate accommodavit.

Caput primum.

Inter novas literas quas Claudius in literaturam Romanam induxit notissimum est digamma. Quode e recentioribus grammaticis praeter Taciti et Suetonii interpretes inprimis egerunt Ger. Io. Vossius Aristarch. I 24 p. 71 Foertsch., Frid. Ruhius specim. I philol. numismatico-lat. p. 35, Nahmmacherus de literat. Rom. p. 203, Conr. Leop. Schneiderus gramm. lat. I p. 4. Veterum autem scriptorum testimonia ut plus minus habent auctoritatis ita composita haec sunt:

Priscianus instit. grammat. I 4, 20 p. 15 Hertz. 'V vero loco consonantis posita eandem prorsus in omnibus vim habuit apud Latinos, quam apud Aeolis digamma. Unde a plerisque ei nomen hoc datur, quod apud Aeolis habuit olim F digamma, id est VAV, ab ipsius voce profectum teste Varrone et Didymo, qui id ei nomen esse ostendunt. Pro quo Caesar hanc Ⅎ figuram scribi voluit; quod quamvis illi recte visum est, tamen consuetudo antiqua superavit.' Scribendum est 'Pro quo Claudius Caesar', quod nomen cum Priscianus fortasse CL. notasset (cf. var. lect. Plin. natur. histor. V 1, 2 et 3) facile librarii praetermiserunt. Nam Ti. Claudium, non C. Iulium quem 'Caesar' si nude ponatur interpretemur necesse est, digamma illud invenisse Quintilianus et inscriptiones declarant. Neque in nomine commemorando per inscientiam Priscianum errasse credemus, quippe qui ne antisigma quidem, alterum inventum Claudianum, plerisque incognitum ignoraverit.

Quintilianus instit. orat. I 7, 26 'Nostri praeceptores SERVOM CERVOMque V et O literis scripserunt, quia subiecta sibi vocalis in unum sonum coalescere et confundi nequiret; nunc V gemina scribuntur ea ratione quam reddidi: neutro sane modo vox quam sentimus efficitur. Nec inutiliter Claudius Aeolicam illam ad hos usus literam adiecerat.'

Gellius noct. attic. XIV 5, 2 'Nam DIVVS et RIVVS et CLIVVS non VS syllaba terminantur, sed ea quae per duo V scribenda est, propter cuius syllabae sonum declarandum reperta erat nova litera quae digamma appellabatur.'

Ad eandem literam a Claudio inventam Quintilianus etiam XII 10, 29 his verbis respicit 'Aeolicae quoque literae qua SERVVM CERVVMque dicimus etiamsi forma a nobis repudiata est, vis tamen nos ipsa persequitur.'

Rationem quam digamma a Claudio inventum habeat haud difficile indagatu est. Nam Romanis similiter atque decimi septimi saeculi philologis maximopere hoc videtur incommodasse, ut V consonantis et V vocalis discrimine carerent. Quae molestia Claudii aetate multo magis quam antea in oculos incurrebat et tanquam adspectu sentiebatur, quod cum superioribus temporibus O vox ante et post V consonantem scriberetur, velut VITROVIVS VOLGVS, inde ab Augustea fere aetate V vocali uti coeperunt, velut VITRVVIVS VVLGVS. Idcirco Claudius ad eam cogitationem deductus est, ut novam formam inveniret qua V consonans significaretur. Atqui cum F digammon quae apud Graecos relicuosque Italos illi sono serviebat iam olim commutata significatione Romani recepissent, prudentissimum Caesar hoc consilium secutus est ut inversam F induceret. Quam Quintilianus quidem Aeolicam literam per eloquendi circuitum vocavit, verum digamma appellatam esse diserte Gellius affirmat. In posterum igitur doctos viros speramus fore destituros digamma usurpare Aeolicum, quod nomen et per se falsum est neque auctoritate fulcitur nisi M. Valerii Probi quem dicunt 'de notis' pag. 1507 Putsch. 'Ⅎ pro V . ut SERⅎVS . ⅎVLGVS . ⅎIXIT . pro servus . vulgus . vixit . et digamma Aeolicum appellatur' et Petri diaconi 'notae literarum' p. 1587 P. 'Item digamma Aeolicum Ⅎ, ut in multis sepulcris . SERⅎVS . ⅎVLGVS . ⅎALE . ⅎIXIT.' Sed fidem his notarum commentariis propterea denegamus quod Mommsenius nuper ex inscriptionibus Latinis collectos ab eis esse demonstravit qui per medium aevum epigraphica studia exercebant.

Quali Claudius forma digamma finxerit, haec quaestio quanto ad hunc usque diem in errore versata sit inde elucet, quod ex

quattuor eis figuris quibus F litera ad perpendiculum dirigi potest modo hanc modo illam digammi Claudianae fuisse voluerunt. Qua de re verbosius monachi dixerunt S. Benedicti collegio adscripti qui librum 'Nouveau traité de diplomatique' fecerunt II p. 47. F formam Quintiliani et Gellii verbis librarii et editores inseruerunt (cf. Spaldingius ad Quint. I 7, 26 et Lionus ad Gell. XIV 5, 2). ꟻ figuram Gorius mus. Etrusc. II p. 415 aliis praeferendam iudicavit usque ad id temporis propositis. Tertiam Ƚ Ritterus ad Tac. ann. XI 14 et Zellius del. insc. lat. n. 1392 expresserunt. At revera Claudius digamma finxit sic Ⅎ, cuius formae non Priscianus solus testis est, sed maxime Latinae inscriptiones, in quibus quae exempla repperi, collecta et in literas digesta subscribam: [1])

ALⅎEI		18
AMPLIAⅎIT		3
ARⅎALIVM	bis	13
AⅎIOLai		5
BOⅎe		13
BOⅎE		13
dIⅎI	bis	11
DIⅎI		9
IOⅎi		13
IVⅎENTVTis		9
LAⅎINIO		18
oCTAⅎIAI		10
PRIⅎATIS		17
SERⅎILIAI		5
TERMINAⅎITQue		3
Ⅎerna		24
ⅎALERiam		2
ⅎARENVS		20
ⅎELina		19
ⅎIAM		2
ⅎIr		12

[1]) Numeri post singula vocabula positi ad eas inscriptiones spectant quas capite octavo componam. In falsis titulis quae Ⅎ literae exempla sunt ea omisi.

ℲIRo	9 bis et 19
ℲISV́	5
ℲITELLIVS	7
ℲOℲEMVS	13
ℲOℲIMVs	13
VOℲIMVS	13

Praeterea pergrandis Ⅎ figura in plumbo reperitur quod infra in septimo capite describemus.

Quo anno uti digamma Claudiano coeperint et quando desierint, cum reliqua Claudii inventa enarraverimus, peculiaribus tum capitibus agemus. Verum hic locus est ut de C. L. Schneideri sententia mentionem faciamus non esse omnino a Claudio literam istam inventam existimantis. Quod ait intelligi si praeter inscriptiones quasdam quae non in Claudiana tempora incidere viderentur aliquot veterum grammaticorum locos diligentius inspiceremus. Titulos ante Claudium inscriptos in quibus Ⅎ digamma legeretur neque Schneiderus neque alii attulerunt nec vero ego repperi. Grammaticorum autem veterum locos quibus Schneiderus utitur quo facilius vobis hac de re reddatur iudicium cunctos perscribam. Diomedes p. 416 P. 'Huic' inquit, id est V literae, 'item digamma ascribi solet ut cum sibi ipsi praeponitur, ut serFus Fulgus . nam V literam geminari in una syllaba posse plurimi negant.' Quae verba ex maxima parte a Donato p. 1736 repetita Sergius p. 1827 planissime sic interpretatur 'Praeterea et hoc proprium V habet ut digammon sonet i. e. pingue quiddam cum sibi ipsa praeponitur ut seruus uulgus . est autem digammos dicta Graecorum eo quod character eius ex duabus gammis fit e. q. s.' Donatus ad Terent. Andr. I 2, 2 'Et Dauus non recte scribitur, Dauos scribendum quia nulla litera vocalis geminata unam syllabam facit. sed quia ambiguitas vitanda est nominativi singularis et accusativi pluralis, necessarie pro hac regula digamma utimur et dicimus DaFus serFus corFus.' Cledonius p. 1882 'Huic, V scilicet, interdum digammon adscribi solet; alii sic volunt esse digammon. In geminata V gammae duae Graecae literae ponuntur hoc modo . . [F] ut non intelligantur separatae sed iunctae, ne uulgus dicamus; hoc ab Aeolicis processit.' Annaeus Cornutus apud Cas-

siodorium p. 2282 'Est quaedam litera in F literae speciem figurata quae digamma nominatur, quae duos apices ex gamma litera habere videtur. Ad huius similitudinem soni nostri coniunctas vocales digammon appellare voluerunt ut est uotum uirgo. itaque in prima syllaba digamma et vocalem oportuit poni, Fotum Firgo, quod et Aeoli fecerunt et antiqui nostri sicut scriptura in quibusdam libellis declarat. Hanc literam Terentius Varro dum vult demonstrare ita perscribit VAV; qui ergo in hac syllaba sonus est, idem literae erit. Nos hodie V literam in duarum literarum potestatem coegimus, nam modo pro digamma scribitur modo pro vocali. vocalis est cum ipsa per se est (hoc enim cum ceteris quoque vocalibus patitur). si cum alia vocali, digamma est quae est consonans e. q. s.' Ex his locis quippe qui ad Claudianum omnes inventum pertinere non possent, Schneiderus Ⅎ digamma collegit ante Claudium exstitisse. Quamquam enim grammatici ita loquerentur, quasi F litera V consonantis vicem praestitisset, tamen quoniam tunc V et F voces permutatae inter se forent etiam istos figuram cogitasse inversam et pro serFus Fulgus DaFus Fotum Firgo esse serⅎus cet. scribenda videri. At veteres grammaticos parum Schneiderus intellexit, cum quae verba apud illos sunt 'V digammon sonat' vel 'V literae item digamma ascribi solet' vel 'alii sic volunt esse digammon' vel similia, eis aliud nil significari appareat nisi 'V litera item consonans est.' Atque Diomedes Donatus Cornutus cum serFus Fulgus cet. scriberent id egerunt ut in huiusmodi vocabulis V literam eandem prorsus vim habere explanarent quam apud Graecos F digamma. Ceterum Schneiderus Cornuti verbis maxime hisce videtur deceptus esse 'itaque in prima syllaba digamma et vocalem oportuit poni, Fotum Firgo, quod et Aeoli fecerunt et antiqui nostri sicut scriptura in quibusdam libellis declarat', e quibus equidem non efficio iam ante Claudium Ⅎotum et Ⅎirgo scripta esse, sed hoc potius, antiquissimos Latinos F litera non modo f sonum expressisse Italarum gentium proprium sed etiam eam vocem quam Graeci F nota signabant et Latini V litera posterius comprehendebant. Quam opinionem manifesto Priscianus I 4, 12 p. 11 Hertz. confirmat 'F Aeolicum digamma quod apud antiquissimos Latinorum eandem vim quam

apud Aeolis habuit.' Accedunt que cum aliorum quorundam nominum duplices formae ut Afillius et Avillius, Afarius et Avarius, Falerius et Valerius, Festinius et Vestinius, Fillius et Villius, Folia et Volia, Ofanius et Ovanius, Ofius et Ovius, Ofinius et Ovinius, Prifernas et Privernas, tum figulini operis Velleiatis auctoritas in quo Borghesius Act. Instit. archaeol. 1841 p. 141 hunc esse titulum inscriptum refert L · NAE ‖ CoS · M ‖ AEM · L · FO, id est 'Luci Nacvi consulibus Manio Aemilio Lucio Volcatio' (a. u. c. 688). Nec dubito quin hac ratione explicandum sit quod in multis vocabulis olim Latini aeque atque Aeoles F litera pro adspiratione utebantur velut in fordeo et foedis et aliis quae Mommsenius infer. Ital. dialect. p. 359 congessit.

Sed ut ad id unde degressi sumus revertamur, in similem ut Schneiderus errorem Lipsius ad Tac. ann. XI 14 inductus est qui Varronem Ⅎ figuram in literarum numerum adscribi voluisse probaturus testem producit Annaeum Cornutum l. d. 'hanc literam Terentius Varro dum vult demonstrare ita perscribit VAV; qui ergo in hac syllaba sonus est, idem literae erit.' Quibus Cornutus verbis idem quod Priscianus I 4, 20 p. 15 Hertz. significavit, Varronem VAV ostendisse V literae nomen esse.

Caput secundum.

Alteram literam a Claudio inventam tanta intercepit oblivio ut unus ex veteribus grammaticis et longe inferioris aetatis scriptor, Priscianus I 7, 42 p. 33 Hertz. certum de ea testimonium perhibuerit 'Huic [S] praeponitur P et loco Ψ Graecae fungitur, pro qua Claudius Caesar antisigma Ↄ hac figura scribi voluit.' Discrepat quidem omnino cum Prisciano Marcianus Capella III segm. 245 extr. 'Huic [S] literae divus Claudius P adiecit aut C propter Ψ et Ξ Graecas literas, ut P psalterium, ut C sacsa.' [1]) Sed cum prope in omnibus rebus, externam fidem si spectamus, gravior

[1]) 'sacsa' scripturam quas Marciani sententiae unice convenit Koppius vetustas editiones secutus pro hac 'saxa' quae in codicibus est recte restituit.

Marciano certiorque auctor Priscianus sit, tum quae de Claudio Capella scripsit tantum abest ut recte se habeant ut sint inepta. Nam cum quem Marcianus exscripsit grammaticus quemadmodum una litera Romani Ξ Graecam exprimerent item unam notam pro Ψ Graeca excogitasse Claudium tradidisset, ipse re male intellecta sententiam hanc proposuit utique contrariam, singulis Graecis literis divum Claudium Romanas substituisse binas ut pro Ψ scriberetur PS et CS pro Ξ (cf. Koppius ad h. l.). Quamquam scire debebat Ψ vocem Romanos PS aut BS literis declarasse semper, solitos esse pro Ξ Graeca usurpare X notam. Itaque quia Marciani error ante oculos positus erat vix excusari Burmannus ad Suet. Cl. XLI poterit confusis Prisciani et Capellae verbis 'scribendum forte [apud Marcianum] saↃca et illud antisigma non in Ψ Graeca quaerendum, sed in Ξ' opinatus. 'nam exempla quae Priscianus adducit, ubi S et P sunt, Arabs caelebs Pelops, nullum dant locum antisigmati, quod est in saxa, si scribatur Claudii more saↃca. quare vel Prisciani locus corruptus est vel ille non recte cepisse videtur.' At qua de causa pro Ξ Graeca Claudius invenerit antisigma, cum iam exstaret qua illam vocem Romani signabant X figura, hoc aut celavit Burmannus aut ignoravit. Verum tamen huius opinionis levitas, modo dilucide de Marciani verbis dixerimus, satis confutata latiorem orationem non desiderat. Qui vero librum 'Nouveau traité de diplom.' scripserunt ipsi viderint quo iure in vol. II. p. 49 antisigma fortasse etiam pro SS literis valuisse addiderint quippe quarum in Latina lingua usus latius pateret quam PS et BS vocum. Quam in coniecturam ↃC figura esse inducti videntur qua antisigma Claudianum fuisse codices Prisciani secuti existimabant, etsi aliquanto Graecae linguae peritiores scirent antisigma non esse duplex sigma. Alios denique qui Graecam *X* literam antisigma aequasse ballucinati sunt (cf. 'Nouv. tr. d. dipl.' l. d.) praeterire silentio praestat.

Iam Marciani testimonio reiecto ad Priscianum redeamus cuius plena verba haec sunt 'Huic [S] praeponitur P et loco Ψ Graecae fungitur, pro qua Claudius Caesar antisigma ↃC hac figura scribi voluit. sed nulli ausi sunt antiquam scripturam mutare, quamvis non sine ratione haec quoque duplex a Graecis addita videatur,

nam multo molliorem et volubiliorem sonum habet Ψ quam PS vel BS. Hae tamen, id est BS, non alias debent poni pro Ψ, hoc est in eadem syllaba coniunctae, nisi in fine nominativi, cuius genetivus in bis desinit, ut urbs urbis, caelebs caelibis, Arabs Arabis.' 'antisigma' in Amienensi et Halberstadiensi libris esse ex Hertzii consequitur silentio. Parisinus 7496 'antisima' exhibet, Bambergensis Caroliruhensis 223 Parisinus 7496 sec. m. 'antisimma,' Sangallensis 'antissimma,' Lugdunensis 'antisi^{g}ma.' ƆC figuram Parisinus 7496 sec. m. tradidit, Ɔ-C idem pr. m. Amienensis Halberstadiensis, x 𝟾𝟾 Bambergensis.

His igitur Prisciani verbis Romanam literam Claudium invenisse Ψ Graecae parem puto intellectum. Nec minus apertum erit quapropter illam notam Caesar literaturae addiderit. E tribus enim literis duplicibus quibus Graeci utebantur Ξ literam quoad Latinam linguam longissime possumus respicere una X figura Romani notabant. Deinde Z vocem quam primo a Graecis adsumptam post ex literarum ordine expulerant antequam e populi libertate res publica in Caesarum dominationem vertit iterum receperunt. Idcirco etiam tertiam duplicem Ψ quam Graeci habebant in Romanarum literarum numerum adsciscere Claudio visum est. Alteram rationem a Prisciano adlatam quod 'multo molliorem et volubiliorem sonum Ψ haberet quam PS vel BS' me fateor non esse adsecutum, et videtur Prisciani commentum, nam in Ἄψος 'Apsus' et ἀψίνθιον 'absinthium' quis diversi soni unquam fuisse credet Ψ et PS vel BS?

Quaenam Claudius verba nova hac litera scribi voluerit cum quaerimus, non PS modo vocis vice antisigma functum esse censeo sed etiam BS, quam ad sententiam Schneiderus quoque grammat. lat. I p. 219 se inclinavit. Non quidem mirer si quis e Prisciano colligat BS voci antisigma non serviisse 'nisi in fine nominativi, cuius genetivus in bis desinit, ut urbs urbis', quoniam non alias debeant pro Ψ poni BS in eadem syllaba coniunctae. At ineptivisse Priscianus videtur cum non in 'urbs' et 'caelebs' et similibus tantum, verum etiam in 'abs' et 'abscondo' et id genus aliis vocabulis B et S una syllaba copulatas Ψ voci respondisse inde liceat coniectare quod 'aps' et 'apscondo' et huiusmodi scripturas

cum inscriptiones et optimi quique codices tradiderint tum veteres grammatici velut Curtius Valerianus apud Cassiodorium p. 2289 P. praeceperunt. Haec de B et S in eadem syllaba coniunctis. Sed eo progrediundum est ut omnia verba in quibus B et S inter se cohaerent antisigma litera Claudium scribi voluisse contendamus. Nam cum eodem vocis sono BS et PS pronuntiarentur (cf. Schneiderus p. 218) factum est ut 'apsens opsequium supsisto' formae tantum non perinde atque 'absens' cet. moris essent. Iam vero illae si antisigma litera exprimebantur, id quod nemo negabit, nonne etiam 'absens obsequium subsisto' ceteris vocabulis quae per B et S scribuntur omnibus antisigma adhibitum esse per se intelligitur? Quare ne necessarium quidem est ad exemplum quod imitatus Caesar est Graecorum provocare qui Ψ nota et *BC* et *ΠC* sonos declarabant.

In eis quae supra dixi antisigma alteram literam a Claudio excogitatam appellare non dubitavi, quamquam et de nomine et de figura (nam haec in unam disquisitionem concurrunt) dissensio exorta est. Schneiderus [1]) enim p. 5 not. apud Priscianum 'antisigma' lectionem secutus sic scribendum esse coniecit 'antisigma Ɔ hac figura' Ɔ nota in ƆC signi locum substituta quia ƆC facile cum X litera confunderetur et, quod est maius aliquid, hac Ɔ figura ab Isidoro orig. I 20, 11 aliisque doceremur antisigma apud Graecos fuisse, quod cur Claudius mutaret nullam fuisse caussam. His a Schneidero in adnotatiuncula verecundius propositis Krehlius ed. Priscian. II anal. p. 510 extr. et Ephem. lit. Lips. 1821 n. 62 p. 496 ita repugnabat ut 'antisigma' vocabulum quod in nullo librorum a se collatorum legeretur editorum errore in Prisciani orationem inlatum esse adseveraret. Ipse autem ex 'antisima antissima antisimma' lectionibus hanc expiscatus est *ἀντίσιμα* quo verbo ex *ἀντί* et *σιμός* vocabulis composito intelligi vult 'characteres lunatos aversis cornibus compositos.' itaque ƆC figuram sive ƆC Heidelbergensi suo codice traditam tanquam veram defendit. At contra Krehlium

[1]) Multo ante Schneiderum eam coniecturam Baudelotius de Dairval praeceperat in libro 'de l'utilité des voyages' quo per Iahnium uti mihi licuit tom. II p. 134 (ed. Rotomag. 1727), ubi praeter inepta multa quae referre piget unum hoc reperitur verum.

Osannus Miscell. crit. ed. Friedem. & Seebod. vol. I fasc. 1 n. 7 p. 83 et Anecdot. Rom. p. 159 sententiae a Schneidero de huius literae nomine figuraque apertae patrocinium suscepit, nam multae rationes simul concurrunt quibus Krehlii opinio redarguatur. Ut graviora tantum recenseam, primum ἀντίσιμος vocabulum cum in literarum monumentis non reperiatur non videtur exstitisse. Deinde ut apud Graecos exstiterit, num cogitari potest prorsus insolenti et inusitato verbo eam Claudium literam significasse quam in vulgari esse usu voluerit? Tum quod 'per vocem σιμός intelligi signum vel characterem sive notam lunulae formam referentem' Krehlius dixit id neutiquam verum est neque ἀντίσιμα sunt 'characteres lunati.' Quibus argumentis alia Osannus et qui Krehlianam Prisciani editionem in Ephem. lit. Ien. 1822 n. 236 p. 429 iudicavit addiderunt. Quae cum ita sint optime ad Schneideri coniecturam nos rettulerimus qua Prisciani verba sic emendavit 'antisigma Ͻ hac figura.' Nam quod in plurimis libris ipsum 'antisigma' verbum non distincte expressum legitur id habendum pro nihilo est quoniam 'simma' scripturam pro 'sigma' voce per medium aevum usu receptam fuisse DuFresnius glossar. ad script. med. et inf. Lat. in v. 'simma' ostendit. Hac vero Ͻ figura antisigma fuisse ut ex Isidoro aliisque testimoniis quae commemorata videsis apud Osannum Anecd. Rom. p. 157 ita ex ipso apparet nomine. ϽC autem nota quemadmodum in Prisciani orationem inrepserit facile perspicitur. Ut enim antisigma explanarent sigma esse in contrariam partem versum, Ͻ figurae adscripserunt C sigma, quae notae post in unam ϽC (Ͻ–C Ͻ-C ϽC) confundebantur. Ceterum cur Ψ Graecam Claudius non servaverit difficile quidem ad indagandum est, tamen haud absurde existimes affectasse eum Ͻ litera inducta gloriam novitatis.

Quoniam PS et BS voces in Latino sermone haud ita frequenter usurpantur, hoc mirandum non est quod nullum antisigma Claudiani ad nostram memoriam exemplum mansit. Vestigia tamen eius inventi deprehendisse mihi in una inscriptione videor quam in septimo capite describam. Nam cum in publica tabula e qua hic titulus transcriptus est DIPSCVRTO nomen bis sic DIϽCVRTO legeretur, is qui transcripsit bis DIϽPSCVRTO ita videtur in-

sculpsisse ut et Ↄ notam quae in archetypo erat et PS consonantes quae Ↄ nota significabantur exprimeret, quo facto postea Ↄ figuram inter I et P literas interpositam erasit. Neque enim aliam rationem habeo qua lacunam unius literae in eodem vocabulo bis repetitam interpreter.

Pariter atque Ⅎ digamma iam ante Claudium exstitisse Lipsius et Schneiderus putarunt, Seyfertus gram. lat. I p. 137 antisigma litera quosdam statuit usos esse temporibus Augusti. Cum enim tradidisse aliquos Suetonius Octav. LXXXVIII narret imperatorem Augustum legato consulari successorem dedisse ut rudi et indocto qui 'ixi' pro 'ipsi' verbo scripsisset, Seyfertus IƆCI legati manu scriptum ita esse arbitratur ut ƆC figura PS vocem expresserit. At neque ƆC figura antisigma erat nec propter novatam literam sed quia vitiose X pro PS voce scripserat legato munus abrogatum est. Nam 'ixi' verbum quod in tantam cecidit Augusti offensionem inde ortum esse conicio quod P litera ut apud Oscos ita in Latino sermone saepius cum C et G et Q sonis commutabatur (cf. Schwenckius N. Mus. Rh. I p. 444 et Mommsenius inf. Ital. dial. p. 223). Itaque potest accidisse ut plebei et rusticani homines non 'ipsi' sed 'icsi' vel 'ixi' dicerent, quod homo urbani sermonis ignarus etiam scribendo imitatus ab Augusto expulsus esse potestate ferebatur.

Caput tertium.

De tertio Claudiani ingenii exemplari superiores inde a renatis literis grammatici supra quam credibile est ariolati sunt. Non fugerunt quidem Lipsii ad Tac. ann. VI 14, Vossii Aristarch. l. d., aliorum sagacitatem corrupta Velii Longi verba p. 2235 P. 'de viro vero et virtute ubi I scribitur et paene V enuntiatur, unde Ti. Claudius novam quandam literam excogitavit e. q. s.', sed corruptum eum compellasse locum Vossius satis habuit, Lipsius 'in prioribus de Aeolico digamma saltem Velium egisse se scire' dixit, nimirum VIR et VIRTVS exemplis a Longo adlatis inductus ut

non de incognita novaque litera Claudiana istis verbis Velium narrasse existimaret sed de Ⅎ digammo per quam ⅎIR et ⅎIRTVS scriberentur (cf. Schneiderus p. 6 not.). Quid quod ex eodem Velii loco M. Vertranius Maurus excogitasse Claudium quandam literam conclusit qua R vox mitigaretur et molliretur (cf. 'Nouv. tr. de dipl.' l. d. not. 1)? Unus nescio quis inscriptiones Claudianae aetatis in auxilium vocavit, in quibus quod ANTONIAI CAISAR OCTAⅎIAI similia legerentur AI diphthongum invenisse Claudium credidit. quam sententiam infra videbimus haud omnino vanam fuisse, etsi recte Lipsius et Vossius et Torrentius (ad Suet. Cl. XLI) hanc AI diphthongum cum in monumentis multo ante Claudium factis reperiretur non inventam a Claudio esse animadverterunt. Plerique autem et Velio Longo et inscriptionibus prorsus neglectis quaenam esset tertia litera adsequi coniecturis tentabant. Erant qui R literam in Latinum sermonem a Ti. Claudio inductam esse vellent perperam Pomponium ut videtur interpretati ICtum qui Dig. I 2, 2 segm. 36 de Appio Claudio ipsum illud tradidit (cf. 'Nouv. tr. de dipl.' coll. Schneidero p. 341). Nec minus Curius Lancilotus Pasius de arte gram. lib. III c. 6 falsus est cum Z literam 'quam Augusti tempore a Graecis Latinos mutuatos esse Papirianus narraret, alios inventam a Caesare Claudio prodidisse' diceret (cf. Seyfertus gram. lat. I p. 14). Lipsius quia e libro quem de grammatica Varro scripsit apud Cassiodorium p. 2286 P. haec proferuntur 'Literarum partim sunt et dicuntur ut A et B, partim dicuntur et non sunt ut H et X, partim sunt neque dicuntur ut Φ. Ψ', ut Ψ ita Φ quae literae Varrone teste necessariae fuissent excogitasse Claudium duxit, Vossius nullum PH literae quod uti F pronuntiaretur apud Latinos usum fuisse opinatus aut X aut Θ. Verum inepte Robbigius in codice crit. l. I c. 6 tres sibi literas deprehendisse has videbatur digamma iota vau (cf. Burmannus Suet. l. d.), cum digamma in locum vau consonantis substitutum esse manifesto appareret. I autem consonans ab eis quoque pro Claudiana litera habita est qui librum 'Nouveau traité de diplom.' conscripserunt, at recte Vossius I consonanti figuram ideo non quaesivisse Caesarem observavit 'quia ea Graeci carerent.' Burmannus quod antisigma vicem Ξ Graecae praestitisse contendit praeter antisigma et digamma eam

statuit notam Claudium invenisse qua Ⱶ vox declararetur. E contrario alii qui in Ⱶ literae vicem adsumptum antisigma esse cognoverant X (= Ξ) tanquam tertium inventum Caesari adseruerunt (cf. 'Nouv. tr. dipl.'). Denique indiligentia eorum levitasque perstringenda est qui quamquam tertiae literae vis et natura iam dudum patefacta erat tamen non satis de ea liquido constare caussabantur.

Indagavit tertiam literam Claudianam primus omnium ac pervestigavit Taylorus 'marmor Sandvicense' Cantabrigiae anno 1743 commentatus p. 46, deinde post aliquod temporis spatium G. Brotierus cum ad Tac. ann. XI 14 'de literis a Claudio inventis' scriberet et Seyfertus gram. lat. I p. 99, suo ut videtur uterque iudicio usus, quibus quartum adiungas Schneiderum gram. lat. I p. 6 qui cum Brotierus et Seyfertus Velianis verbis in errorem quem postea commemorabimus inducti essent Taylorum omnino secutus est.

Velius quibus de tertio hoc Claudii invento rettulit verba apud Putschium p. 2235 haec sunt 'Aurifex melius per I sonat quam per V, ut aucupare et aucupium mihi melius videtur sonare per V quam per I, et idem tamen aucipis malo quam aucupis, quia scio sermonem et decori servire et aurium voluptati, unde sit ut saepe aliud scribamus, aliud enuntiemus, sicut supra locutus sum. De viro vero et virtute, ubi I scribitur et paene V enuntiatur, unde Ti. Claudius novam quandam literam excogitavit, similem ei notae quam pro aspiratione Graeci ponunt, per quam scriberentur eae voces quae neque secundum exilitatem literae neque secundum pinguitudinem literae sonant, ut in viro et virtute, neque rursus secundum latum literae sonum enuntiarentur, ut in eo quod est legere scribere. Itaque audimus quosdam plena omni syllaba quoi et tibei pro cui et tibi, quod multo vitiosius est, quam si tenuitatem I literae custodirent.' Haec ad emendanda verba quamquam ms. libros speraveram mihi operam suam commodaturos esse tamen in eis prope nil erat auxilii. H. enim Keilius a Fr. Ritschelio rogatus qua est humanitate certiorem me fecit in cod. Vaticano 3402 quocum non modo alterum exemplar Vaticanum exacte sed universe etiam relicua exemplaria congruerent nullam scripturae esse discrepantiam nisi hanc ut 'de vrio et virtute, ubi I scribitur,' verba legerentur adscriptumque in margine esset 'f. viro.' Qua re luculenta

Taylori confirmatur haec emendatio 'sicut supra locutus sum de viro et virtute, ubi', nam respicit haud dubie ea Longus quae supra p. 2219 P. locutus erat 'Nam quibusdam literis deficimus quas tamen sonus enuntiationis arcessit, ut cum dicimus virtutem, et virum fortem consulem Scipionem esse, pervenisse [sic Schneiderus p. 21, Putschius 'periisse'] fere ad aures peregrinam literam [id est Υ Graecam] invenies.' Idem Taylorus 'neque secundum exilitatem literae neque secundum pinguitudinem literae' verbis I et V literas vidit inserendas esse, etsi parum recte 'sec. exil. literae I' et 'sec. ping. literae V' Taylorus et Schneiderus scripserunt, quoniam talia Velius ita consuevit collocare 'I literae' et 'V literae.' Praeterea Schneiderus p. 22 pro 'unde sit ut' correxit 'fit' et pro 'quae neque — sonant neque — enuntiarentur' 'sonarent.'

Iam levioribus his expeditis maxima est in postremo enuntiato difficultas a sententia. Quasnam per novam literam Claudius scribi voces voluit? 'quae neque secundum exilitatem I literae neque secundum pinguitudinem V literae sonarent, ut in viro et virtute, neque rursus secundum latum literae sonum enuntiarentur, ut in eo quod est legere scribere.' Proxima verba cum Taylorus 'fortasse maculosa' esse adnotasset, Schneiderus pro 'legere' censuit 'dicere' restituendum esse vel simile vocabulum in quo I vocalis esset producta. Ut enim 'scribere' Velius tanquam exemplum proposuit in quo latus inesset literae sonus, ita 'legere' librarii in eius locum vocabuli substituerunt quod secundum latum literae sonum enuntiaretur. Atque cum in priore totius sententiae parte 'neque secundum exilitatem I literae neque secundum pinguitudinem V literae sonarent' I et V literas Longus ut duas res aequales composuerit, 'latum literae sonum' non modo ad productam I spectare mihi persuasi sed etiam ad productam V vocalem. Quare posteriorem enuntiati illius partem sic emendo 'neque rursus secundum latum literae sonum enuntiarentur, ut in eo quod est l u g e r e scribere', ut eadem existat sententia quam Sergius Donati interpres p. 1827 P. proposuit 'nam invenimus ubi [I et V] sonum explicent suum ut virus et rumor.' Haec verba postquam restituimus, ilico ea quae antecedunt 'ut in viro et virtute' perspiciemus non posse ferri. Nam aequata inter se sunt respondentque 'ut in viro et

virtute' et 'ut in eo quod est lugere scribere.' Atquin 'lugere' et 'scribere' secundum latum literae sonum enuntiabantur nec per novam literam Claudianam scribebantur. Itaque pro 'viro et virtute' vocabulis quae Velio quidem ambiguum inter I et V sonum habere videbantur ea oportet restituantur quae secundum exilitatem I literae et secundum pinguitudinem V literae enuntiata sint. Tota igitur verba Veliana non omnibus purgata corruptelarum sordibus esse verum aliquanto tamen emendatius sic legi iudico 'unde Ti. Claudius novam quandam literam excogitavit similem ei notae quam pro aspiratione Graeci ponunt, per quam scriberentur eae voces quae neque secundum exilitatem I literae neque secundum pinguitudinem V literae sonarent ut in [eo quod est bibit pudet], neque rursus secundum latum literae sonum enuntiarentur ut in eo quod est lugere scribere.'

Apparet igitur e Velii verbis novam quam Claudius invenit literam mediis inserviisse inter I et V vocibus quae neque secundum exilitatem I literae neque secundum pinguitudinem V literae neque secundum latum I aut V vocalis sonum enuntiabantur. Nam satis multa apud Romanos verba erant in quibus I et V vocales non expressum suum sonum haberent sed *Υ* Graecae, qualia sunt optimus s. optumus, libido s. lubido, existimat s. existumat, clipeus s. clupeus, alia. cf. Velius Longus p. 2219 P. (v. pag. 16) et Marius Victorinus p. 2465 'Sunt qui inter V quoque et I literas supputant deesse nobis voces, sed pinguius quam I, exilius quam V: sed pace eorum dixerim, non vident *Υ* literam desiderari: sic enim gylam myserum syllabam proxymum dicebant antiqui' et alii grammatici quorum diligentissime Schneiderus inde a p. 19. testimonia congessit. Ipsam autem *Υ* vocalem germani ingenuique Romani etsi a Graecis quoties illorum nominibus utebantur solebant mutuari, in Latinis tamen verbis loco V aut I literarum ubi *Υ* Graecae sonum haberent poni quaedam quasi religio incessit (cf. Quintilianus XII 10, 27). Iam vero Claudius id egit ut medium hunc I et V literae id est *Υ* vocis sonum qui erat in Latino sermone signaret et exprimeret, verum non *Υ* notam qua Graeci utebantur servavit, sed aeque ac Ͻ figuram in Ψ Graecae locum substituerat novam quae *Υ* Graecae par esset literam excogitavit.

Qua litera non Latina modo vocabula quorum medius esset inter I et V sonus scribi voluit sed etiam Graeca nomina quibus antea *Υ* Graecam adhibuerant, id quod et ex rei ipsius natura conficitur et inscriptionibus Latinis adeo comprobatur ut nullus restet scrupulus, unde quae apud Schneiderum p. 24 leguntur perperam patet disputata esse.

Nomine quo tertiam hanc literam Claudius appellaverit non traditum nobis est, qua autem formaverit figura his Velius verbis significat 'literam similem ei notae quam pro aspiratione Graeci ponunt.' Ⱶ vero nota aspirationis Graecos usos esse sexcenti lapides nummique declarant ubi *ⱵΑΙΡΕΘΕΝΤΕΣ ⱵΕΛΕΝΙΤΩΝ ⱵΗΡΑΚΛΗΙΩΝ ⱵΥΠΕΡ* similia leguntur. cf. Franzius elem. epigr. Gr. p. 43 et fusius hac de re disputans Taylorus l. d. p. 44.[1]) Eandemque Ⱶ literam tertiam fuisse a Claudio inventam luculenter Latinis inscriptionibus confirmatur, in quibus haec sunt exempla:

AEGIⱵPTI	1	id est Aegypti
BATHⱵLLVS	8	Bathyllus
BIⱵB	8	bibliotheca
•HRIⱵSAO•	8	Chrysaor
CRⱵ	12	crypta
CⱵCNVS	15	Cycnus
•IRIⱵBIVS	22	Eurybius
GⱵBER	8	gubernator
MⱵRO	8	Myro

[1]) Taylorus p. 48 'signum' inquit 'non ab Aeolensibus mutuo sumptum, verum a communi Graecorum adspiratione; Ⱶ scilicet, quam etiam notam (quasi verbis meis non satis fidei esset adhuc elaboratum) in antiquissimis Velii codd. haesisse his verbis audio.' In codice a Keilio collato (v. p. 15) non exstare Ⱶ nota videtur. Taylorus quosnam intellexerit libros Velianos nescio; fortasse Vertranii Mauri commentarium ad Tac. ann. XI in animo habuit qui 'se legisse' narrat 'Romae apud Velium Longum in libro de orthographia MSC. apud Strossium literam novam a Claudio excogitatam, similem ei notae, quam pro aspiratione Graeci ponunt .Ⱶ.' (cf. Funccius de immin. Lat. ling. senect. p. 52).

Ceterum Ⱶ pro aspirationis signo etiam in Latinis et libris (cf. Iahnius proleg. Flor. p. XXXII) et inscriptionibus (velut Momms. I. N. 6303, 9) saepius reperitur.

NꟷMPHIVS	8	id est Nymphius
PꟷLADES	21	Pylades
ZOPꟷRVS	23	Zopyrus

quibus alia eum additurum fore confido si cui contingat ut Claudianae aetatis omnes inscriptiones accurate habeat expressas. cf. adnot. ad tit. 16. In istis autem nominibus praeter bibliothecam et gubernatorem omnibus per ꟷ notam expressa *Υ* Graeca est. Cum vero et in ea inscriptione ubi BꟷB legitur bis bibliotheca sic BYB notata sit et in aliis titulis haud paucis (Orell. 40 41 Henzen. III. vol. Orell. 6271 6272 6273 6282 6306 6307) bybliotheca pro bibliotheca exstet, etiam in BꟷB apparet ꟷ literam vicem praestare Y vocis. Item in eo quod iam unum restat 'gubernator' vocabulo GꟷBER nota declaratur solitos esse medio inter I et V vocales sono 'gybernator' pronuntiare, quod cum Graeco κυβερνήτης verbo tum inscriptionibus potissimum eis comprobatur in quibus ipsa GYBER. vel GYBERN. scriptura exarata est Momms. I. N. 2699 et 2700 coll. ibid. 2696 EXGYBERN. et 2664 ARCHIGYBERNI.

Restat ut paucis errorem redarguamus Brotieri et Seyferti, qui cum apud Longum vulgo haec legerentur 'ut in eo quod est legere scribere', non modo ad medium inter V et I sed etiam ad medium inter E et I sonum exprimendum ꟷ literam adhibitam esse statuerunt, quem in errorem eo poterant magis induci quia Velius p. 2235 modo huc modo illuc evagatus non solum de vocibus inter V et I ambiguis agit sed etiam nonnullas de E et I literarum vicibus observationes commiscet. Seyfertus ipsam ꟷ figuram vocavit in auxilium ut quae I totam et partem E literae complexa mediae inter E et I voci accommodatior quam mediae inter V et I esset, potuitque subicere eadem ꟷ litera Oscos reapse consuevisse medium inter E et I sonum í significare. At tota mehercule via Brotierus et Seyfertus erraverunt. Nam ut omittam quod et Velianae contextus enuntiationis prorsus isti opinioni repugnat neque illis 'secundum latum literae sonum' E et I literae indicantur quod sibi Seyfertus persuasit nec fieri omnino potest ut in legendi et scribendi verbis medium E et I literae sonum fuisse cum Seyferto existimemus, ut taceam denique inscriptiones in quibus vocem inter V et I mediam ꟷ nota expressam saepius videmus, nunquam

mediam inter E et I, hoc unum libet quaerere num cogitatione possit comprehendi duas voces ex omni parte diversas (nam ecquae voces magis inter se differunt quam ea quae est inter E et I vocales ambigua et ea quae est inter V et I?) duas igitur has voces Claudium scribi litera voluisse una et eadem? Simile igitur aliquid antequam commonstretur, nostro credo iure hac re poterimus supersedere ut pluribus Brotieri Seyfertique opinionem confutemus.

Caput quartum.

Tres literas Claudium Romanae literaturae addidisse Tacitus et Suetonius memoriae prodiderunt, tres literas grammatici commemorant a Claudio inventas, quarum prima et tertia in compluribus adhuc inscriptionibus conspiciuntur, alterius non apparent nisi in uno titulo vestigia. Quartum autem tribus istis inventis hoc addendum est quod AE diphthongo Claudius abolita A et I literas substituit, cuius rei non Tacitus Suetonius grammatici testimonium perhibent sed inscriptiones. Nam quod primum est in publicis titulis quibus Claudianae literarum formae inscriptae sunt omnibus ubique AI syllaba, AE nusquam reperitur. Sic in titulis 2 3 4 ter CAISAR et in titulis 9 10 11, qui cum unam inscriptionem efficiant non debent seiungi, haec leguntur:

AGRIPPINAI
ANTONIAI '
AVGVSTAI
CAIS/ri
CAISARI
CAISARis
CAISARIS ter
IVLIAI
oCTAℲIAI
PATRIAI

Sic in inscriptione 6 a Vespasiano vel Tito renovata et instaurata tamen v. 1 CAISAR scriptura servata est. Quod vero in titulo

17 v. 4 QVAE Maffeius legi tradidit, in hac re ne erraverit subvereor, nam in ipso lapide eodem modo QVAI insculptum esse opinor quemadmodum in versu inscriptionis 18 octavo est. Sin autem re et veritate QVAE in monumento reperiri declaretur, id certe scio non minus quam PRAEF. quod in titulo 18 v. 3 semel iuxta ter repetitam PRAIF. scripturam incisum est lapidarii adsignandum esse imprudentiae.

Verum non publicis modo sed etiam aliis Claudianae aetatis monumentis non nullis AI diphthongum adhibitam esse haec exempla ostendunt: [1])

AGRIPPÍNAÍ	14
cAISAris	14
CAISARIs	14
CAISARIS	15 et 16
GAITVLorum	18
INVICTAI	5
MAÍDIVS (M. Aedius)	5
PRAIFectus ter	18
PRAISVL	18
QVAI	18
SERVILIAI	5

Quae cum ita sint A et I vocales in AE diphthongi locum subrogasse Claudium patet. Qua in re cum exquirerem quid secutus esset, haec primo coniectura animo meo obiecta est, priscum sermonem imitando effusum in antiquitatis studia Claudium

---

[1]) Ne tamen eas inscriptiones in quibus AI diphthongus comparet velut Fabrettianas 254, 56: TI · CLAVDIVS · NOSTVS | CORNELIAI · VOLVPTATI | CONIVGI OPTIMAE · ET · FIDELISSIMAE | ET · KARISSIMAE · FECIT et 363 XVI: D · M | TIBERIVS · CLAV | DIVS · PRIMVS | CVLLIBERTAI SVAI · CLAVDI | AI · GENESINI · | BENE · MERENTI ea ipsa de caussa ad Claudiana tempora referamus, Orelliani 488: Q · CAICILIO | CISIACO · SEPTICIO | PICAI · CAICILIANO | PROCVR · AVGVSTOR · ET | PROLEG · PROVINCIAI | RAITIAI · ET · VINDELIC | ET · VALLIS · POENIN · AVGVRI | FLAMINI · DIVI · AVG · ET · ROMAI et 3538: ALCIMACHVS | NERONIS CLAVD | CAISAR · et Gruterianus 109, 7: IMP · VESPAS · VI | CAISARE · TITO · IIII | COS. et alii tituli vetant.

exprimere voluisse, qua sententia praeter alios fuisse Zellium video in enchiridio epigr. Rom. II p. 220. Post autem aliam rationem quae quidem verior esse mihi videretur Quintilianus instit. orat. I 7, 18 his verbis suppeditavit 'AE syllabam cuius secundam nunc E ponimus varie per A et I efferebant, quidam semper ut Graeci, quidam singulariter tantum cum in dativum vel genitivum casum incidissent unde pictai vestis et aquai Vergilius amantissimus vetustatis carminibus inseruit.' Graecam linguam magna Claudium admiratione celebrasse et Suetonius docet Cl. XLII pr. 'Nec minore cura Graeca studia secutus est amorem praestantiamque linguae occasione omni professus e. q. s.' et novae tres literae quas a Graecis sumpserat, nempe digamma Claudianum Graecae *F*, antisigma Graecae *Ψ*, tertiam Ⱶ literam Graecae *Υ* respondere cognovimus. Quid igitur veri potest similius esse quam quartum quoque inventum e Graeca lingua Caesarem repetivisse? Atquin eam vocem quam coniunctis A et E literis Latini declarabant Graeci iam antiquitus A et I vocalibus exprimebant. cf. Mehlhornii grammatica graeca (a. 1845) p. 22. Quare Graecis Claudium quorum potiorem linguam praestabilioremque habebat auctoribus usum AI syllaba ut pro A et E literis scriberetur praecepisse suspicor. Potestque ut Quintilianus 'quidam semper ut Graeci [AE per A et I efferebant]' ipsum hoc Claudii inventum in animo habuerit. Tacitus vero et Suetonius quod non mentionem nisi de tribus fecerunt literarum formis a Claudio inventis, id nemini puto mirum fore. Nam novas prorsus insolentesque Ⅎ Ɔ Ⱶ literas notabiles habuerunt dignasque historia, neglexerunt AI diphthongum a Claudio inductam utpote quae et ante et post Claudianam aetatem saepius usurparetur.

Caput quintum.

Postquam quattuor indagavimus Latinae linguae commutationes a Claudio factas, quas generali 'literarum' vocabulo quotiens utar intelligere vos velim, iam investigandum est e quo tempore et quoad et quatenus novae literae sint usurpatae. Ac primum quidem

hoc quaeritur quando publicum earum usum Claudius instituerit. Cum Suetonius Cl. XLI extr. privatum etiamtum de literarum quas ut maxime necessarias veterum numero addendas esse censeret ratione volumen edidisse narret, initio statim imperii principem inventorum usum suorum Romanis mandasse exspectaveris. Verum sexennio demum post quam rerum potitus est illuc eum processisse et e Tacito cognoscimus et ex inscriptionibus.

Tacitum omnes sciunt mira accuratione res gestas quas in annalibus memoriae prodidit observato cuiusque anni ordine deinceps composuisse ita ut si quando a temporum ratione discessit nunquam id ipse negligeret indicare. Cum autem duo et viginti undecimi annalium libri capita priora ad anni p. u. c. octingentesimi (a. 47 p. Ch. n.) historiam pertineant, tum quae eiusdem libri capite decimo tertio singillatim Tacitus recenset omnia Claudio IV. Vitellio III. coss. octingentesimo p. u. c. anno Romae acta sunt. Quoniam igitur in hoc capite novarum literarum mentio fit a Claudio additarum vulgatarumque, etiam hanc rem liquet eodem esse factam anno u. c. 800 (a. p. Ch. n. 47). Et verum hoc esse inscriptionibus mirum in modum comprobatur. Non ullus titulorum quibus Claudianae literarum formae inscriptae sunt quorumque tempora possumus computare ante annum positus octingentesimum est, sed ad unum omnes post a. 800. Titulus enim 1 inscriptus est anno 800—801, 2 a. 801—802, 14 post a. 802, 3 a. 802—803, 4 item a. 802—803, 13 post a. 803, 8 per annos 801 802 803 804, 5 a. 804, 9 10 11 post a. 804, 12 item post a. 804, tituli 6 archetypon a. 805—806, titulus 7 postquam Nero Claudio successit. Quare nobis copia fit colligendi etiam relicuas inscriptiones 15—24 non ante a. 800 insculptas esse.

Simili modo ex inscriptionibus Tacitoque non ineunte potius octingentesimo u. c. anno quam exeunte inventa sua Claudium publicasse populi in usum effici potest. Apud Mommsenium I. N. 6265 haec inscriptio legitur 'prope antiquos Forulos reperta':

TI · CLAVDIVS
DRVSI F CAESAR
AVG · GERMANICVS
PONTIF · MAX · TR · POT

$\overline{VII}$ · COS · $\overline{IIII}$ · IMP · XI · PP
CENSOR · DESIGNAT
VIAM · CLAVDIAMNOVAM
A FORVLIS AD CONFLV
ENTIS ATTERNVM · ET
TIRINVM PER PASSVVM
$\overline{XXXXVII}$ CL XXXXII
STERNENDAM CVRAVIT

Quoniam primum Claudius tribuniciam potestatem a. d. VII. k. Febr. anni 794 assumpserat (nam Caligula a. d. IX. k. Febr. occiso de mutando rei publicae statu prius per biduum haesitatum esse quam Claudius appellaretur Augustus, Suetonius Cl. X XI tradidit), a. d. VII. k. Febr. a. 800, Eckhelianam D. N. VIII p. 398 rationem unice veram si sequimur, septimum est imperatori tribunicia potestas instaurata. Unde circiter medium annum 800 post a. d. VII. k. Febr. antequam censorium munus cum Vitellio Claudius obiit inscriptionem istam incisam esse apparet. Cum vero profectis ab ipso Augusto titulis, quorum in numero huiusmodi sunt miliariorum lapidum inscriptiones habendae, literae inscriberentur Claudianae (v. p. 29), inventa sua eo tempore quo lapis ille positus est Claudius nondum induxerat.

Marinius 'Att. Arv.' p. 77 (Or. 648) post alios Feltrensem hanc inscriptionem quam non ipse inspexisse videtur (ibid. p. 79 n. 29) edidit:

TI · CLAVDIVS · DRVSI · F
CAESAR · AVG · GERMA
NICVS · PONTIFEX · MAXV
MVS · TRIBVNICIA POTESTA
TE $\overline{VI}$ · COS · $\overline{IV}$ · IMP · XI · P · P
CENSOR · VIAM · CLAVDIAM
AVGVSTAM · QVAM · DRVSVS
PATER · ALPIBVS · BELLO · PATE
FACTIS · DERIVAVIT · MVNIT · AB
ALTINO · VSQVE · AD · FLVMEN
DANVVIVM · M · P · CCCI

cuius tituli numeri perperam descripti sunt [1]), neque enim qui factum sit video ut in hac inscriptione intra k. Ian. et a. d. VII. k. Febr. a. 800 incisa Claudius diceretur 'censor', in illa quam supra posui post a. d. VII. k. Febr. eiusdem anni insculpta 'censor designatus.' Quamobrem in Feltrensi cippo non TRIBVNICIA POTESTATE VI v. 5 sed VII legi suspicor, quod si verum esse reperietur liquido ex hoc titulo discimus novas literarum formas addidisse Caesarem vulgavisseque postquam censoris munus suscepit, cuius censurae initium etsi certo nequit constitui sub fine a. 800 factum esse videtur (cf. Eckhel. D. N. VI p. 314).

Forulano et Feltrensi posterius in Helvetia S. Symphoriani miliarius lapis collocatus est quem Mommsenius I. HELV. 311 (Or. 331) descripsit:

TI · CLAVDIVS · DRVSI · F
CAESAR · AVG · GERM
PONTIF · MAX · TRIB · POT · VII
IMP · $\overline{\text{XII}}$ · P · P · COS · $\overline{\text{IIII}}$
F A
$\overline{\text{XXXVII}}$

Hac inscriptione literas suas postquam imperator XII. consalutatus est Claudium induxisse comprobatur, quod tamen idcirco levius est quia antequam a. d. VII. k. Febr. a. 801 octavum Caesar tribuniciam potestatem iniit imperator ob Britannicas victorias etiam quintum decimum declaratus est. Illud autem tribus quos perscripsimus titulis est manifestum, extremo demum anno 800 postquam censorium munus obiit et imperatorium nomen duodecimum asseruit publicum literarum quas commentus erat usum principem praecepisse. Et censura demum inita vulgavisse Claudium inventa sua Taciteae rursum contextu orationis mihi videtur confirmari

[1]) Prave numeros saepissime e monumentis transcriptos esse ut uno confirmem exemplo ad Claudium spectante, in inscriptione ab Henzenio III. vol. Orell. n. 5098 edita: TI · CLAVDIVS · DRVSI · F · CAESAR | AVG · GERMANICVS . PONTIF · MAX | TRIB · POTEST · $\overline{\text{VI}}$ · COS · $\overline{\text{III}}$ · DESIGN· $\overline{\text{IIII}}$ · IMP · $\overline{\text{XII}}$ · P · P | FOSSIS · DVCTIS · ATIBERI · OPERIS · PORTVS | CAVSSA · EMISSISQVE · INMARE · VRBEM | INVNDATIONIS· PERICVLO · LIBERAVIT pro IMP · XII · emendandum IMP · XI · est.

ann. XI 13 'At Claudius matrimonii sui ignarus et munia censoria usurpans theatralem populi lasciviam severis edictis increpuit — et lege lata saevitiam creditorum coercuit — fontesque aquarum Simbruinis collibus deductos urbi intulit. ac novas literarum formas addidit vulgavitque.' Censorium puto Caesarem proposuisse edictum (quorum edictorum Suetonio Cl. XVI extr. teste magnam effudit copiam) quo quattuor istas literarum formas necessarias esse expromens ut usurparent Romanos cohortaretur. nam commendasse eum suasisseque ac non imperasse vel praescripsisse ut novas literas adhiberent inde concludo quod si imperator iussisset fieri non potuit quin obtemperantes imperio Romani multo magis Claudianis inventis frequentiusque uterentur quam reapse usos esse inscriptiones ostendunt.

Caput sextum.

Altera haec quaestio existit quando literis a Claudio inventis uti desierint. Quamquam enim non temere sed iustis de caussis istas literaturae Romanae commutationes Caesarem molitum esse perspeximus, tamen id non perfecit ut firmitatem nanctae inveterascerent, verum planissime apud Tacitum XI 14 extr. haec leguntur 'Claudius tres literas adiecit quae usui imperitante eo, post obliteratae, aspiciuntur etiam nunc in aere e. q. s.' quibus verbis literas Claudianas Claudio anno u. c. septimo et octingentesimo (a. p. Ch. n. 54) mortuo usurpari desiisse declaratur. Nec falsum Latinis inscriptionibus Taciti esse testimonium probatur, cum omnes in universum tituli in quibus novae literarum formae comparent et quorum tempora constant regnante Claudio inscripti sint. Sane quidem ab eo nos discedere oportet quem e Marinio 'Att. Arv.' tab. XIV p. CXVI infra s. n. 7 descripsi. Haec enim tabula qua Cn. Domitii Ahenobarbi quo natus Nero erat memoriae fratres Arvales bovem marem immolasse traditur haud dubium est quin post Neroniani initia imperii literis consignata sit. cf. Marinii tab. XIII. Quare Marinius p. 97 excogitatas a Claudio literas Arvalium fratrum collegio adeo placuisse existimavit, ut ne tum qui-

dem eum inventor ipse mortuus esset usu earum quem lex nulla vetaret desisterent. Etsi autem haec est aliqua ratio, a vero tamen vereor eam ob caussam ne abhorreat quod si tantopere fratribus Arvalibus literae quas Claudius induxerat probatae essent, in hac inscriptione non semel tantum primo versu ꟻITELLIVS scripsissent sed etiam relicuis vocabulis in quibus V consonans (aut PS duplex) reperitur ARVALIVM IMMOLAVIT IOVI SALVIVS VACCAM VIA VIPSTANVS digamma (aut antisigma) adhibuissent. Itaque aliam equidem explicandi viam ingrediebar qua et qui factum sit intelligitur ut in primo vocabulo quod per V consonantem scribitur digamma usurparent, reicerent in eis quae exinde secuntur, et Taciti testimonium interfecto Claudio novis literarum formis uti Romanos abstitisse tantum abest ut minuatur ut etiam confirmetur. Quoniam enim versibus 3—7 sacra ab Arvalibus fratribus a. d. III. id. Decembr. (coll. Marinii tab. XIII v. 2) facta memorantur, prima tabulae verba manifesto ad ea spectarunt quae uno pluribusve eiusdem anni diebus superioribus operati erant. Si igitur septimo et octingentesimo anno haec inscriptio incisa primaque tabula de aliquo ante Claudium mortuum (mortuus autem a. d. III. id. Octobr. est) die relatum erat, quod quominus coniectura informemus nil impedit, primae tabulae quia Claudius etiamtum regnabat Claudianae literae inscriptae fuerunt. Iam vero ea quae alio intra a. d. III. id. Oct. et a. d. III. id. Dec. die acta erant cum exponerent, primo novarum literarum quas proximo commentario adhibuerant usum continuarunt, deinde autem quod necato Claudio nulla iam necessitate istis formis uti cogebantur ad vulgarem scribendi consuetudinem se rettulerunt [1]).

Quandoquidem Marinius p. 97 post Claudium mortuum suo aliquos arbitratu Claudianas literas servasse sibi persuaserat, etiam quam duodecimo loco collocavi inscriptionem imperante coniecit factam esse Nerone, hoc usus interrogationis genere 'chi sa che de' tempi Neroniani similmente non sia il digamma, che si trova nella

[1]) Haec cum pridem scriberem nondum eius inscriptionis notitiam habui quam infra tertiam decimam perscripsi, unde negligentia lapidariorum quam non nunquam immodica fuerit discitur. Quare videatis an rectius statuamus priores tabulae versus vivo esse Claudio inscriptos, sed ab socorde lapidario qui VIPSTANVS pro ꟻIPSTANO expresserit.

iscrizione di Palestrina della qual' parla Monsig. Cecconi (Storia di Palestr. p. 171).' Quae tamen suspitio prorsus imbecilla est cum ne minima quidem nobis necessitas iniuncta sit ut v. 3 post NERONI additum Augusti nomen fuisse credamus. Imo enim vero Taciteis verbis istum titulum intelligitur convenire si CAES. vocabulo suppleto postquam Nero cognomine Caesar, antequam Augustus appellatus sit intra annos 804—807 inscriptum esse statuimus.

Denique tertiam non tacebo inscriptionem a Grutero 578, 7 editam quam Marinius sive fortuito et per inprudentiam sive voluntate iudicioque praetermisit. Nam sepulcrali hoc titulo quem vicesimo quinto numero designavi post consecratum Claudium inscripto firmius argumentum nullum afferri potest quo sententia a Marinio proposita probetur. At hic id venit in quaestionem num vera sit inscriptio et sincera an ficta potius ac fucosa quippe quam e manuscripto Gruterus Celsi Cittadini codice sumpserit qui cum parum notus Venetiis adhuc videatur exstare, denuo ut excutiatur Mommsenius I. N. p. XVII vehementer desiderat. Quoniam autem Celsum neque ipsum qua par est fide ac diligentia in inscriptionibus Latinis versatum Ritschelius de Aletrinatium titulo (prooem. ind. schol. hib. Bonn. MDCCCLII—LIII) p. III et aliorum fraudibus epigraphicis deceptum esse Mommsenius 'falsae, vel susp. R. Neap. inscriptiones' n. 396 ostendit, neminem esse credo futurum qui mihi suscenseat si primam hanc epigraphicae artis legem ut diffidero quam fidere praestet secutus istam inscriptionem e Cittadini schedis a Grutero prolatam subditiciam aut interpolatam ita iudicavero ut esse argumento nequeat.

Hoc igitur concesso quod demonstrare studebam simul atque imperio vitaque Claudius a. d. III. id. Octobr. anni p. u. c. octingentesimi septimi (a. p. Ch. n. 54) decessit Claudianis literis finem impositum esse, relicuos titulos in quibus novae literarum formae reperiuntur 17—24 sequitur non ultra illud tempus inscriptos esse.

Caput septimum.

Tertio loco excutiendum nobis proposuimus quam late literarum a Claudio inductarum usus patuerit. Quod Tacitus ann.

XI 14 'Claudius tres literas adiecit quae usui imperitante eo, post obliteratae, aspiciuntur etiam nunc in aere publicatis plebiscitis [1]) per fora ac templa fixo' non nisi publici aeris quo plebiscita promulgata erant mentionem fecit, eius rei hanc esse Nipperdeius caussam perspexit quod illae maxime inscriptiones sub communem omnium aspectum subiectae erant. Suetonius autem Cl. XLI extr. postquam principem ut in promiscuo novae literarum formae usu essent non difficulter obtinuisse dixit, 'exstare' adiungit 'talem scripturam in plerisque libris ac diurnis [2]) titulisque operum', quibus ex verbis haud sane exiguis finibus patet Claudii inventa fuisse circumscripta. Iam id agam ut accuratius aliquanto singula persecutus quatenus Claudianae literae usurpatae sint exponam.

Quoniam si quis novi aliquid inducturus est ipsum ceteris primum exemplum ad imitandum proponere par est, omnes titulos quicunque post a. 800 a Claudio sive Romae sive in provinciis inscribebantur Claudianis literis expressos esse statuo. Nam inscriptio quam Muratorius Nov. thes. vet. insc. 444, 4 exhibet:

'Romae lapis in monte Caeliolo effosus a. 1729
Misit Ignatius Maria Como Neapolita'

TI · CLAVDIVS
DRVSI F · CAESAR
AVG · GERMANICVS
PONT · MAX · TRIB · POT ·
VIIII · IMP · XVI · COS · IIII ·
CENSOR PERPETVVS
AVCTIS POPVLI ROMANI
FINIBVS · POMERIVM
AMPLIAVIT TERMINAVITQVE
XXXV ·

---

1) In Mediceo libro est 'publico. dis plebiscitis per fora', olim scribebant 'publicandis plebiscitis', Lipsius 'publicandis scitis', Grotius 'publicandis plebi SCtis', Nipperdeius 'publico per f.', Beckerum enchirid. antiq. Rom. II 2, 354 et Mommsenium comment. soc. lit. Saxon. 1855 p 391 ego secutus sum.

2) Torrentius 'libris actorum diurnorum', Muretus (ad Tac. ann. III 3) 'libris actorum diurnis', Burmannus 'libris, actis diurnis.'

tam imperite impudenterque ex ea conficta est quam s. n. 3 perscripsi ut verbum non amplius addere libeat. Idemque prorsus iudicium de hoc titulo facio quem a Tafurio Neritino missum idem Muratorius 226, 3 recepit:

'In Civitate Teatina'
TIB · KLAVDIVS
CAESAR
A V G · G E R M · P O N · M A X ·
TRIB · POT · VIIII · IMP · XVI ·
CONS · IIII · P · P · CENSOR

Quas ad inscriptiones tertiam aequiparo quae est apud Gruterum Corp. insc. lat. 153, 9:

'Emeritae Ex Schotti schedis'
I M P · D I V V S · C L A V D I V S
D R V S I · F · C A E S · A V G
GERM · PONT · MAX
TRIB · POT · $\overline{X}$ · COS · $\overline{IIII}$ · IMP
$\overline{XI}$ · ITER · REPARAVIT ·
~ VI ~

Nec genuinus est titulus ex Onufrii qui sexcentas rei epigraphicae fraudes intulit fastis a Grutero 188, 6 editus:

TI · CLAVDIVS · DRVSI · F · CAESAR · AVGVSTVS · GERMANICVS
PONT · MAX · TRIB · POT · $\overline{XI}$ · IMP · $\overline{XXIIII}$ · COS · $\overline{V}$ · P · P
RESTITVIT
C ·.MINICIO · FVNDANO · ET · C · VETTENNIO · SEVERO · CoS

Denique in hunc adulterinarum inscriptionum numerum adscribenda restat quae apud Donium ant. insc. 97, 110 reperitur:

'Ultra Tibur, saxum Tiburtinum avulsum ex ductu aquae Marciae
Ex adversariis Achillis Statii'
AQVAE · MARCIAE CAERVLEAE
CVRTIAE · ALBVDINAE
IMP · CAES · TI · CLAVDIVS · AVG
P O N T I F · M A X I M ·

Duo tamen sinceri tituli supersunt qui quamquam post a. 800 a Claudio positi videntur a communi scribendi consuetudine non

discedunt. Quorum alterius qui Stabiis repertus Neapoli in museo Borbonico adservatur imaginem Marinius 'Att. Arv.' p. 440ᵃ vulgavit:

TI · CLAVDIVS · CAESAR · AVGVSTVS
GERMANNICVS · PONTIFEX · MAXIM
TRIB · POTESTATE · $\overline{\text{XII}}$ · IMPER · $\overline{\text{XXVII}}$
PATER · PATRIAE · CENSOR · COS · $\overline{\text{V}}$
TRIERARCHIS · ET · REMIGIBVS · QVI · MILI
TAVERVNT · INCLASSE · QVAE · EST · MISENI
SVB · TI · IVLIO · AVGVSTI · LIB · OPTATO · ET
SVNT · DIMISSI · HONESTA · MISSIONE
QVÓRVM · NOMINA · SVBSCRIPTA · SVNT
IPSIS · LIBERIS · POSTERISQVE · EORVM
CIVITATEM · DEDIT · ET · CONVBIVM · CVM
VXORIBVS · QVAS · TVNC · HABVISSENT
CVM · EST · CIVITAS IIS · DATA · AVT
SIQVI · CAELIBES · ESSENT · CVM · IÍS
QVAS · POSTEA · DVXÍSSENT · DVM
TAXAT · SINGVLI · SINGVLAS
A · D · III · ÍDVS · DECEMBR
FAVSTO · CORNELIO · SVLLA · FELICE
L · SALVIDIENO · RVFO · SALVIANO · CoS
GREGALI
SPARTICO · DIVZENI · F · DI▲PSCVRTO
BESSO
DESCRIPTVM · ET · RECOGNITVM · EXTA · BVLA
AENEA · QVAE · FIXA · EST · ROMAE · INCAPI
TOLIO · AEDIS · FIDEI · POPVLI · ROMANI
PARTE · DEXTE RIORE[1])

Huic inscriptioni a. d. III. id. Dec. a 805 incisae quaenam caussa fuerit cur non Claudianae formae literarum adhibitae sint iam supra p. 12 significavi. Haec enim diptycha quae usque ad nostra tempora duraverunt ex aenea tabula Romae in Capitolio

[1]) Omisi et testium nomina et alterum eiusdem inscriptionis exemplum quae in exterioribus leguntur tabularum partibus. In utroque autem exemplo ante PS literas DIPSCVRTO nominis una litera erasa est, non (quod Marinius statuit) complures.

fixa qua veteranis Claudius civitatem et conubium dedit descripta, non ipsum primum exemplum sunt, id quod GERMANNICVS verbo aliisque scripturae inaequabilitatibus satis demonstratur et disertissime in ipsa tabula v. 23 scriptum est. In archetypo illo publica auctoritate confecto novae literae inscriptae erant, quarum etiam nunc vestigia in Stabiano exemplari v. 21 deprehenduntur (cf. p. 13). Illud autem neutiquam mirandum est quod cum publica tabula quae Romae erat fixa privatum in usum describeretur vulgares rursum literarum formae in locum Claudianarum substitutae sunt.

Simili ratione alter expeditur titulus intra a. d. VII. k. Febr. a. 806 a Claudio ut videtur incisus nec tamen Claudianis literis consignatus quem infra sextum collocavi. Nam hanc inscriptionem in eadem porta Naevia aliae duae a Vespasiano et Tito qui aquas Curtiam et Caeruleam perductas a Claudio et postea intermissas dilapsasque restituerunt factae ita excipiunt ut tres istae inscriptiones unam conficiant. Itaque Vespasianum aut Titum eodem tempore quo aquae Claudiae rivos refecit simul titulum quem Claudius posuerat vetustate laesum mutilumque renovasse et eam inscriptionem quae ad nostram memoriam mansit non insculptam ab ipso Claudio esse sed sive a Vespasiano sive a Tito restitutam suspicor. Principalis autem tituli a Claudio inscripti aliquod hodie in CAISAR scriptura v. 1 apparet vestigium, quode cf. p. 20. Ceterum si quis formas literarum quibus tres aquae Claudiae inscriptiones expressae sunt cum cura ac diligenter inter se comparaverit, oculorum is iudicio decernere poterit num quod conieci verum sit an falsum. Mihi non licuit nisi eam totius monumenti aspicere imaginem quam Canina commentationi 'descrizione del monumento delle acque Claudie ed Aniene nuova' in Annal. Instit. archaeol. 1838 p. 202 editae adiecit. Haec si efficta utique ad similitudinem veri est species literarum atque figurae contra opinionem meam non pugnant.

Reliqua autem monumenta quae post a. 800 Claudius faciunda curavit Claudianam adhuc scripturam servarunt. cf. inscriptiones 2 et 3 et 4 et quam ad ipsum Caesarem esse auctorem referendam opinor 9 10 11. At vero non omnibus vocabulis forsitan quispiam dixerit quas literas Claudius invenit adhibitas esse. Primum enim ꟻIR. quod est in titulo 9 nonne scribendum fuit sic ꟻIꟻR?

nam et Velius p. 2219 P. 'cum dicimus' inquit 'virtutem et virum fortem consulem Scipionem esse, pervenisse fere ad aures peregrinam literam [Υ Graecam] invenies' et Priscianus I 2, 6 p. 7 Hertz. idem his verbis testatur 'et I quidem quando post V consonantem loco digamma functam Aeolici ponitur brevis, sequente D vel M vel R vel T vel X, sonum Υ Graecae videtur habere, ut video vim virtus vitium vix.' cf. Diomedes p. 416, Donatus p. 1735 (Sergius p. 1827), Cledonius p. 1882 P. Nonne diserta haec testimonia illi ꟾIR. scripturae quasi reclamitant? Verum una tamen nobis haec relinquitur consilii via ut Claudii temporibus 'vir' et huiusmodi nomina Υ Graecae sono enuntiata negemus et Velii Priscianique ac ceterorum testimonia non ad antiqua tempora referamus sed ad ea quibus ipsi fuerunt [1]), quemadmodum pleraque quae grammatici tradiderunt praecepta non ad incorruptam spectant Latini sermonis integritatem qua veteres scriptores utebantur, verum ad inquinatam multis modis Latinitatem sui saeculi propriam. Cuius rei eo fides augetur quod inscriptiones in quibus VYR similesve scripturae reperiuntur inferioribus adscribendae saeculis sunt veluti Fabrett. ant. insc. 324, 450 v. 3 VNIBYRIA (= univiria) et 53, 308 v. 3 VYRGINEM. Iam quid de PONTIF. scriptura iudicandum erit? ut enim non artifex aurifex carnifex antiquitus sed artufex aurufex carnufex scribebantur sic primaria forma erat pontufex, quo in vocabulo etsi V soni pinguitudo postquam exilitas sermonis Romanos delectare coepit I litera castigabatur, tamen I vocalem ita esse prolatam probabile est ut Υ Graecae sonum proxime accederet. Sed cum in Claudiano titulo 9 PONTIF. non PONTꟾF. scriptum sit Claudiana aetate in 'pontifex' nomine I vocalem plenum puto et expressum suum sonum habuisse, cui sententiae hoc favet quod inde ab Augusti temporibus nusquam quantum equidem sciam 'pontufex' reperitur. Nam inscriptio Or. 2508 'in Hispania in turri horaria ecclesiae B. Isidori' inventa

[1]) Velium probe scio referri vulgo ad Traiani tempora vel Hadriani, sed tam incondita quae ad nostram memoriam manserunt tamque indigesta sunt ut mihi stet posteriore aetate ab imperito grammatista esse ex Velii libro excerpta pravisque differta additamentis.

quae conlata Orelliana 211 hunc in modum supplenda esse videatur Druso. Caesari. Ti. Aug. f || DIVI AVG · N · DIVI IVLĪ || pro N TRIBVNICIA POTESTATE Ī · COS · ĪĪ || PONTVF || CORNELIVS BASSVS PONTVFEX || CAESAREVM D.· S · P (a. 775 u. c.) cum a Donio insc. 113, 2 primo 'ex collectaneis Ramberti' edita sit maximas habet suspitiones.

Quod igitur in titulis a principe ipso profectis novae literarum formae incidebantur, hac re saepius confractas inscriptiones Claudius necne fecerit decernere poterimus, veluti is titulus quem e Capialbo Mommsenius in I. N. 21 transtulit si quidem v. 2 CAES in lapide legitur sic supplendus erit:

TI · CLAudio. Drusi. f
C A E Sari. Aug. Ger
M A N I Co. pont. max. tr. pot
X̅I̅ · COS · V̅ p. p. ex. d. d

Eandemque rationem ad tempora adhibebimus quarundam inscriptionum accuratius definienda, velut et hanc quae olim Lugduni adservabatur apud Reines. syntagm. cl. III n. 78 et Boissiev. inscr. Lugdun. p. 372:

Ti · CLAVDIVS
CAESAR
GERMANICVS
PONT · MAXIMVS
IMPERATOR
m. P · XXV

et Sardianam hanc ab Henzenio III vol. Orell. 5297 editam:

ti. claudiVS DrVSi F · CAESAR · AVGVSTVS
. . . . . C VII (?) pp aQVAM · CIVITATI · SARDIANORVM
curante TI · CLAVDIO · DEMETRI · F · QVIRINA · APOLLODoro
τιβέριος κλαύδιΟΣ δΡΟΥΣΟΥ ΥΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΣ
. . . . . ὕπαΤΟΣ . . . . ΠΑΤΗΡ · ΠΑΤΡΙΔΟΣ · ΥΔωΡ ΑΠΟ ΠΗΓΗΣ . . .
. . . . . . ΕΡΓΕΠΙΣΤΑΤΗΣΑΝΤΟΣ ΤΙΒΕΡΙΟΥ ΚΛΑΥΔΙΟΥ . . .

iam patebit in annos 794—800 incidere.

Senatus Romanus non dubium est quin ante alios omnes principis vestigiis insecutus et Claudianas literas studiose imitatus sit. Quare nobilissimam orationem quam in senatu Claudius anno 801 de iure adipiscendorum in urbe honorum Gallis dando habuit in actis senatus consentaneum est novis literarum formis expressam fuisse, etsi Lugdunenses cum illam orationem qua quod maximopere concupiverant princeps largitus erat e senatus actis describendam atque in aenea ne qua oblivione interciperetur tabula cuius hodie reliquiae Lugduni exstant (Gruter. p. 502 et Boissiev. inscr. Lugd. p. 136) incidendam curarent, vulgarem rursus scribendi rationem receperunt. Hosidianum autem de aedificiis negotiationis caussa non diruendis SCtum cuius exemplar Herculanei olim repertum hodie periit (Or. 3115 et Mommsen. Act. soc. lit. Saxon. 1852 p. 276) nulla ratione ad annum 801 refertur quoniam 'felicitati saeculi instantis' verba anno 799 potius quam a. 801 conveniunt, cui sententiae fidem etiam Cassius Dio facit LX 20 *πρὶν δὴ Γναῖος Ὁσίδιος Γέτας κινδυνεύσας ἁλῶναι ἔπειθ' οὕτως αὐτῶν ἐκράτησεν ὥστε καὶ τιμὰς ἐπινικίους καίπερ οὐχ ὑπατευκὼς λαβεῖν.*

Populus Romanus si quae publice literis consignabat eis perinde ac senatus novas literas adhibuit. cf. Tac. ann. XI 14 'Claudius tres literas adiecit quae — aspiciuntur etiam nunc in aere publicatis plebiscitis per fora ac templa fixo.' Quocirca is titulus quo post Caratacum captum senatus populusque Romanus a. 803 Claudium prosecuti sunt Fabrettinis 728, 446 et Orellianis 715 supplementis servatis ferme hunc in modum reficiendus est:

TI · CLAV[DIO · DRVSI · F · CAISARI
AVGV[STO · GERMANICO
PONTIFIC[I · MAXIMO · TR · POT · XI
COS · V · IM[P · XXIIII · PATRI · PATRIAI
SENATVS · POPV[LVSQ · ROMANVS · QVOD
REGES BBIT[ANNIAI · PERDVELLES · SINE
VLLA · IACTV[RA · SVORVM · CAPTIOS : HABVERIT
GENTESQ · E[XTREMAS · ORBIS · TERRARVM
PRIMVS · INDICIO[NEM · POP · ROM · REDEGERIT

Si ei inscriptioni fidem tribueremus quae apud Gruterum 236, 11 legitur:

'Romae, repertum in foro Caesaris Gruterus ex Ursini schedis'
NERONI · CLAVDIO · DRVSO · GER · COS · DESIGN
EQVESTER · ORDO · PRINCIPI · IVVENT
equestrem ordinem Claudii inventa omnino repudiasse constaret quippe qui intra a. 804—807 Neroni Caesari Aug. f. tralaticia scriptura hunc titulum confecisset, quod tantum abest ut mihi probetur ut ad Orellii 726 sententiam accedam qui hanc inscriptionem utpote ad literam ex eo nummo quem Eckhelius D. N. VI p. 261 edidit descriptam damnavit.

Magistratus qui in re publica administranda versabantur ad edicta decretaque et alia quae publice scriptis mandabant Ⅎ Ↄ Ⱶ AI literis usos esse pro certo affirmaverim. Ita digamma (et AI syllaba? cf. p. 21) in praefracta tabula conspicitur a Maffeio Mus. Ver. 306, 7 vulgata (v. capitis octavi n. 17) quam censores Romani composuerunt. Itaque quod Suetonius inventam a Claudio scripturam in diurnis (diurna Claudianae aetatis acta intelligatis) exstare testatur adsequimur, nam diurnorum populi Romani actorum cura conficiendorum publico magistratui, urbis opinor praefecto, permissa erat. Minoribus autem officiis civilibus qui fungebantur scribas maiorum magistratuum et apparitores et viatores et alios huc non referendos esse liquet, quapropter quotidianum scribendi genus solum non sufficit evincendo adulterinam esse inscriptionem e Panvinii fastis in Gruteri C. I. L. 113, 3 translatam.

Iam vero nil obstat quominus quaecunque publico consilio intra annos 800—807 conscripta sunt eis novas literarum formas adhibitas esse contendamus. Quod tamen de municipiorum coloniarum aliorum oppidorum civitatibus ac magistratibus dictum putare nolite, a quibus quas Claudius induxerat literae negligebantur velut in hoc titulo a Mommsenio I. N. 2399 ad Herculaneum relato:

TI · CLAVDIO
TI · CLAVDI · CAESARIS 804—807
AVGVSTI · GERMANICI
P · P · F · NERONI
CAESARI
D · D

cf. praeter Maffeii Mus. Ver. 441, 5 lapis Mediolani effossus Or. 713

TI · CLAVDIO
DRVSI · F · CAESARI AVG
PONT · MAX
TRIB · POT · VIIII · IMP · XVI
COS · IIII · COS · DESIGN
P · P ·
VICVS VENERIVS

quem ipsi imperatori vicus Venerius (oppidum videbatur Macaneo fuisse, Orellio Mediolanensis urbis regio) ineunte anno 803 posuit.

De sacerdotiis populi Romani in universum certi quidquam statuere vix ausim. Nam quod Gruterus 300, 1 (Or. 725) edidit sacerdotalium fastorum fragmentum:

DEC · XXVII ·
... DLECTVS · AD · NVMERVM · EX · S · C
.... CAES · AVG
GERMANICVS ·
.. CLAVDIO · CAESARE · AVG · GERMAN · V̄
... R · CORNELIO ORFITO · COS
P · R · C · ANN · DCCCIIIℲ ·

hoc inquam fragmentum ad Neronem Caesarem spectans si accurate ex lapidea tabula Romae reperta descriptum est, isti sacerdotes (Augustales sodales Morcellius oper. epigraph. II p. 125 intellexit) sollemnem suum morem secuti a Claudianorum usurpatione inventorum se videntur abstinuisse. At Arvalium fratrum collegium novis esse literarum formis usum cum primo septimi tituli versu declaratur tum maxime decima tertia inscriptione, singulari socordiae quadratarii incuriaeque exemplo. Nam in quadratarium culpam conicio inconstantiae qua nunc ℲOℲIMVS nunc VOℲIMVS nunc VOVIMVS, modo ARℲALIVM modo ARVALIVM, alias BOℲE IOℲi alias CONSERVES DIVINI eRVNTVE miNERVA sALVOM VERBA inscripta sunt. Atque pari modo MAXIME OPTIME et AELius PRAESTES QVAE scripturarum quarum Melchiorrius et Henzenius testes sunt caussam non potius fratribus Arvalibus quam quadratario delegemus. Eos autem collegii eiusdem commentarios quorum reliquias Marinius 'Att. Arv.' tab. XII p. CXV (cf. p. 84 ibid.) quoad fieri potuit acute explevit circiter annum 796

conscriptos esse Furiumque Camillum Scribonianum significari patrem arbitror qui a. 795 (Dio LX 15) bello civili moto intra quintum diem oppressus est.

Privatim si quae literis mandabantur plane ad arbitrium singulorum hominum voluntatemque aut adhibebantur Claudii inventa aut reiciebantur. Neque in titulis Claudio ipsi vel domui Augustae dicatis non deprehendimus literas vulgares velut apud Momms. I. N. 2396 3398 al. Verum ne hoc quidem inscriptionibus demonstratur insolitum fuisse ut alias literas a Claudio inventas probarent, ab aliis abhorrerent. Sic in titulo 12 Ⅎ et Ⱶ literae reperiuntur sed AE pro AI syllaba, in titulo 15 Ⱶ et AI sed pro Ⅎ figura V, in titulo 20 Ⅎ sed Y pro Ⱶ vocali, in titulo 24 Ⅎ sed AE, in titulo 19 Ⅎ sed Y et AE, in titulo 21 Ⱶ sed AE diphthongus, in titulis 1 et 8 et 23 Ⱶ sed V consonans et AE, in titulo 16 AI sed V pro Ⅎ et I in EVTICHVS voce pro Ⱶ. Unde privatos homines concludere licet non modo omnibus simul literis Claudianis perquam esse raro usos, verum etiam maxime Ⱶ literam, Ⅎ consonantem aliquantulo minus, minime AI syllabam probasse. Saepius autem etiam in uno titulo inscribendo homines sibi videmus non constitisse, quandoquidem in titulo 12 ℲIIR verbum v. 2 continuo v. 3 DIVI subsequitur, in titulo 5 ter est Ⅎ inscriptum sed v. 4 INVICTAI et ter AI sed v. 1 CAESARE, in titulo 14 v. 1 IVLIAE · AVGVSTAE sed deinde deinceps ter AI, in titulo 16 v. 3 CAISARIS sed v. 4 CVRIAE · ASERNIAE, in titulo 15 v. 1 CAISARIS sed deinde deinceps AE ter legitur. Nam qui inscriptiones 15 et 16 confecerunt primis versibus inductam a Claudio, postremis tralaticiam scripturam adhibuerunt; e contrario titulos 5 et 14 qui inscripserunt usitatis literis ab initio et deinde Claudianis usi sunt; in titulo 12 autem primo et extremo usurpata Claudii inventa sunt sed intermissa in medio. Quamquam ne plus aequo tribuamus cavendum est id genus inaequabilitatibus quas a lapidariis quam ab eis qui inscribendum titulum curarunt profectas esse verisimilius est. Constantissime vero novae literarum formae in honorario Sp. Turranii titulo 18 servatae sunt. Ut enim PRAEF· notam v. 3 omittamus quae originem manifesto a lapso accepit in AI syllaba insculpenda lapidario, SI-

BVLLINIS forma v. 6 pro qua SIBꟷLLINIS scriptura erat substituenda non caret excusatione; quia enim perantiqui cascique foederis quod inde ab a. u. c. 416 quotannis cum Laurentibus renovabatur istic fit mentio, non miror praeter studium novas literas imitandi aliquam vetustatis significationem in prisca sollemnique SIBVLLINIS forma apparere. Sin quis v. 4 TꟷBERIS scripturam exspectaverit, is non infuisse illa aetate in hoc nomine medium I et V literae sonum scito [1]. Denique per quas potissimum regiones a Claudio inductarum literarum usus patuerit si quaerimus, dimidia pars titulorum privatim Claudiana scriptura confectorum ad Latium pertinet, dimidia ad relicuam Italiam, Etruriam Campaniam Apuliam Picenum; Latiniensium autem rursus dimidium ab ipsa urbe Romana oriundum est. Nimirum quo ab oculis quasi inspectantis Augusti propius aberant eo studiosius commodam amplectebantur testificandae erga eum pietatis et obsequii occasionem.

Libros qui intra a. 800—807 edebantur permultos novis esse literarum formis conscriptos Suetonius narrat 'Exstat talis scriptura in plerisque libris e. q. s.' In eis autem scriptis quae inde a Claudii temporibus usque ad nostram aetatem tradita codicibus sunt nulla videmus istorum inventorum vestigia, nisi cui in opinionem forte veniret 'deficta' scripturam quam pro 'devicta' verbo in Latinae anthologiae Burmannianae libri II carmine 91 (Meyer. 769) post subactam Britanniam condito Vossianus codex et schedae Scaligeri v. 7 exhibent atque eiusdem generis complures a Ⅎ figura exortas esse, id quod Fornerium sibi persuasisse apud Vossium lego in Aristarcho I p. 51 Foertsch. 'V vero con-

---

[1]) Cum longum ait si quibus istud probem argumenta hac adnotatione persequar, unum adiunxisse hoe satie habebo, apud Plinium natur. hist. III 5, 53 ed. Sillig. 'Tiberis antea Thybris appellatus et prius Albula e media fere longitudine Appennini finibus Arretinorum profluit' collato Varrone L. L. V 5, 30 unde illud Plinius haud scio an transtulerit 'fuerunt qui [Tiberim] ab Thebri vicino regulo Veientum dixerunt appellatum Thebrim, sunt qui Tiberim priscum nomen Latinum Albulam vocitatum literis tradiderunt' emendandum 'Thebris' esse. Primum quod novi 'Tyberis' scripturae exemplum Or. 3042 in posteriorem tertii p. Ch. n. saeculi partem cadit.

sonans iam olim, Claudiano puta aevo, figuram habuit inversi F — cuius rei observatione non pauca veterum scriptorum loca sanari posse exemplis plusculis ostendit Radulphus Fornerius lib. II. Rerum quotidianarum cap. 6.' Sed cum libri saeculis procedentibus subinde transcriberentur fieri non potuit quin in obsoletarum locum literarum Claudianarum brevi spatio eae sufficerentur quae communi in usu erant. Quocirca si quas in libris Claudiana aetate compositis V et F literarum commutationes offendimus eas non ad Ⅎ digamma refero a Claudio inventum, verum perinde ac si quae apud alios scriptores factae sunt ad librariorum qui medium per aevum fuerunt corruptam locutionem.

His quae modo exposuimus ad certam quandam formulam revocare Claudianarum usum literarum studui. At fundata hac ratione et exstructa disciplina iam quasi in ruinam prona videatur ubi ad nummorum mentionem ventum est quippe qui inventis Claudii non sint insigniti. Neque enim in nummorum numero plumbum id referatis quod Seguinus sel. numism. p. 194—200 accuratius executus est et in 'nummis tesseris, spintriis, aliisque varii argumenti' Eckhelius D. N. VIII p. 316 rettulit. Ab altera eius parte laurea corona, ab altera pergrandis Ⅎ figura cui palmae ramus infixus est et IO · SAT IO literae sic compositae cernuntur:



Hoc plumbum quod Saturnalium usui sollemnium destinatum erat (Stiglitz. sermones archaeolog. II p. 145) haut multo post inductas a Claudio novas literarum formas cusum eamque ipsam ob caussam Ⅎ nota insignitum esse suspicor. In nummis autem Claudiana inventa reperiuntur nusquam, verum etiam in eis qui publice signabantur vulgaris scriptura servabatur ut IVVENT· et CAES· in nummis apud Eckhelium D. N. VI p. 260 et 242. Quam nummorum inscriptionumque discrepantiam consultus per Ritschelium Mommsenius, quae illius viri est summa scientia, sic enodavit: Claudius eis qui sibi ab epistulis et a scriniis erant ut non uterentur nisi

inventis a semetipso literis imperaverat, itaque tituli publici quorum curam inscribendorum haud dubie qui illis fungebantur muneribus sustinebant Claudianis sunt literarum formis insigniti; iam vero epistulis scriniisque praefecti cum vacarent administratione rei nummariae, quamvis sit mirum potuit tamen fieri ut in nummis non iussi Ⅎ Ↄ Ⱶ AI notas adhibere monetarii literas servarent usitatas.

Quinto et sexto et septimo capitibus quae exposuimus, in omnes partes ab ea sententia dissident quam in academico libello 'Claudii Imp. oratio super civitate Gallis danda' Friburgi Brisigavorum a. 1833 edito Carolus Zellius exprompsit, cui impugnandae antea ne rerum inciderem tenorem temperavi. Zellii autem verba p. 8 haec sunt 'in publicis quidem instrumentis has literas Claudianas curiose usurpatas esse et per se patet et Tacitus cum Suetonio affirmat. Neque hodieque monumenta desunt huius inventi vestigiis insignita. Sed et alii eiusdem aetatis tituli supersunt, iique publice et in urbe ipsa confecti, qui vulgarem consuetudinem servant, ut aquae Claudiae inscriptio in porta Naevia et tabula honestae missionis. Quodsi igitur Romae literae Claudianae vel in titulis publica auctoritate positis non ubique admittebantur, quid mirum si idem in provinciis factum esse videmus? cf. Orellii coll. n. 648 708 713.' Inconstanter igitur omnino in publicis inscribendis titulis modo usos Claudii literis modo non usos esse Zellius vult, quae existimatio quam lubrica sit nemo non perspiciet. Singulae vero res de quibus Zellius haesitabat aut nullam dubitationem adferunt aut faciles habent explicatus. Nam aquae Claudiae inscriptionem et honestae missionis quam dicunt tabulam non prima esse sed de primis exscripta exempla p. 30 exposui, quod idem ad Lugdunensem pertinet orationem quade Zellius disserens in literarum a Claudio inventarum mentionem incidit. Deinde titulis Orellianis 648 quam in disputatione mea p. 24 intexui et 708 qui est hic:

TI · CLAVDIVS CAESAR
AVGVSTVS GERM·
PONT · MAX · TRIB · POTEST·
COS · DESIG · IIII · IMP · XI · P · P· a. 799

VIAM CLAVDIAM AVGVSTAM
QVAM DRVSVS CAESAR PRIVS
OBICIB·PATEFACTIS·ITER·EXSIccato
FLVMINE PVRGAV·
M....R.ST
S·P·M·P...CVravit

novae literarum formae inscribi non potuerunt quod in publicum usum tunc a Claudio nondum inductae erant. Neque in inscriptione Or. 713 quam p. 36 perscripsi Ⅎ et AI reperiuntur quia a municipiis vicisque Claudii inventa universe negligebantur. Ad summam quod discrimen inter factas in urbe et in provinciis inscriptiones Zellius servat in publicis istis instrumentis non valet, etsi privatim Romae curiosius quam alibi usurpatas Claudianas literas esse p. 39 adsensus sum.

Caput octavum.

Quoniam multis huius commentationis locis inscriptionum Latinarum ratio habenda erat, ad rem duxi adpositum ut eas quibus potissimum disputatio nostra continebatur ex amplioribus collectionibus excerptas hic componerem. Itaque in quibus Claudianae literarum formae inscriptae sunt titulos quotcunque noveram omnes infra posui. Quorum nonnullos ut ipse ex lapidum ectypis describerem Ritschelii rursus humanitate mihi contigit, relicuos ad id quemque exemplum expressi quod accuratissime descriptum esse mihi persuaseram. In tres vero partes ita divisi ut eas inscriptiones quarum anni vel menses constitui possunt prima complecterer, altera eas quae non in unius sed in complurium annorum tempora incidunt, tertia denique suspectas aut evidenter fictas.

I

1. intra a. d. VII. kal. Febr. a. 800 — a. d. VII. kal. Febr. a. 801

PRO SALVTE
TI · CLAVDI · CAESARIS · AVG · GERMANICI PONT·
MAX · TRIB · POT · VII · COS · IIII·

1. Orell. 709 coll. Henzen. III. vol. Or. p. 67 (Giorn. Arcad. XXXIX p. 227) — Romae

IMP · $\overline{XV}$ · P · P · CENSORIS . . . . LIBERORVMQVE . . . . . .
EX VOTO SVSCEPTO · C · IVLIVS SEX · F · COR · POSTVMVS PRAEF · AEGIPTI
TI · CLAVDI CAESARIS AVG · GERMANICI · EX AVRI P · XVI

2. intra a. d. VII. k. F. a. 801 — a. d. VII. k. F. a 802

T I · C L A V D I V S
CAISAR
AVG · GER · PONT · MAX
TRIB · POT · VIII · IMP · XVI
COS · IIII · P · P · CENSOR
ℲIAM · CLAVDIAM · ℲALERiam
A · CERFENNIA · OSTIA · ATErni
MVNIT · IDEMQVE
PONTES · FECIT
XLIII

3. intra a. d. VII. k. F. 802 — a. d. VII. k. F. 803

T I · C L A V
D R V S I · F · C A I S A R
A V G · G E R M A N I C V S
PONT · MAX · TRIB · POT
$\overline{VIIII}$ · IMP · $\overline{XVI}$ · COS · $\overline{IIII}$ ·
CENSOR · P · P
A V C T I S · P O P V L I · R O M A N I
FINIBVS · POMERIVM
A M P L I A Ⅎ I T · T E R M I N A Ⅎ I T Q

4. intra a. d. VII. k. F. 802 — a. d. VII. k. F. 803

T I · C L A V D I V S
D R V S I · F · C A I S A R

2. Momms. I. N. 6256 (Or. 711) — Rep. sub Teate — 'Extare negant Novelle Fiorent.' Momms.

3. Or. 710 — Romae — Descripsi

4. Doni. insc. antiq. 114, 4 e schedis Vaticanis — Romae — Propter CAISAR scripturam v. 2 genuinum hunc titulum iudicavi

A V G · G E R M A N I C V S
PONT · MAX · TRIB · POT
VIIII · IMP · XVI · COS · IIII
CENSOR

5. anno 804

TI · CLAVDIO · CAESARE
A V G · G E R M Á N I C O · $\overline{V}$
SER · CORNÉLIO · ORFITO · COS
ISIDI · INVICTAI · ET SERÁP . .
MAÍDIVS · SERℲILIAI · AℲIOL . .
LIB · AMERIMNVS
EX · ℲISV́

6. intra a. d. VII. k. F. 805 — a. d. VII. k. F. 806

TI · CLAVDIVS · DRVSI · F · CAISAR · AVGVSTVS · GER-
MANICVS · PONTIF · MAXIM
TRIBVNICIA · POTESTATE · $\overline{XII}$ · COS · $\overline{V}$ · IMPERATOR·
$\overline{XXVII}$ · PATER · PATRIAE
AQVAS · CLAVDIAM · EX · FONTIBVS · QVI · VOCABANTVR·
CAERVLEVS · ET · CVRTIVS · A · MILLIARIO · XXXXV
ITEM · ANIENEM · NOVAM · A · MILLIARIO · LXII · SVA · IM-
PENSA · IN · VRBEM · PERDVCENDAS · CVRAVIT

7. anno 807 (?)

. . . .
. . . . CAMERINVS · A · ℲITELLIVS · C · VIPSTANVS
APRONIANVS
. . . . AFRICANVS · COS·
. . . . IDVS · DECEMBR·

---

5. Cardinali. iscriz. ant. Velitern. p. 9 (Or. 714)

6. Gruter. 176, 1 (Or. 54) 'exscripsit Smetius' — Romae · Recepi propter CAISAR scripturam v. 1. cf. p. 32

7. Grut. 119, 2 — Rep. Romae — Marinius 'Att. Arv.' qui tab. XIV p. CXVII supplere tentavit p. 97 'Non si trova' inquit 'ora più questo frammento' — anno 807 hanc tabulam compositam esse p. 27 conieci.

... M · ARVALIVM · NOMINE · IMMOLAVIT · IN · SACRA· VIA
... MORIAE · CN · DOMITI · AHENOBARBI · B · M·
.. SATVRNINVS · A · VITELLIVS · C · VIPSTANVS · APRO- NIAN
.. CAMERINV: · T · SEXTIVS · AFRICANVS · L · SALVIVS· OTHO
... K · IANVAR·
... VM · ARVALIVM · NOMINE · IMMOLAVIT · IN · CA- PITOLIO
... SARIS · AVG · GERMANICI · IOVI · B · M · IVNONI VACCAM

. . . .

II

8. intra annos 801—804

TIIVLIVS · GRAPHINATA
TI · CLAVDIVS · ROMANVS
BATHⱶLLVS · VER · CAPR · ABⱶB
PRIMVS · HILARIAN · ASVPEL
ARGAEVS · GⱶBER · CENSORIN
SECVNDVS · TEC · EVPORIAN
ZORA ATR
SEPVNIVS CLARVS EX · D · D ~~HS~~ · ∞∞
Q VERANIO
A. POMPEIO GALLO **CoS** a 802

---

8. Henz. III. vol. Or. p. 284 (Murator. tom. I tab. C p. 305) — Romae

Descripsi qua potui diligentia, sed veram inscriptionis imaginem si quis effingere velit lithographica ei arte utendum erit.

Dextrae huic parti superiori tabulae Antiatinae quae privatos quosdam libertorum servorumque domus Augustae fastos videtur complexa esse reliquas partes addere nihil attinebat utpote Claudianis literis non insignitas, quarum sinistra superior (ubi bis BYB· pro 'bibliotheca' legitur) ad annos 794 - 797 spectat et inferiores ipsius calendarii fragmenta continent.

HELIVS ATR
HERC . . . APID
T . . . . . . HRISAO
PHIL . . . . PAVIMEN
SATVRNINVS SPHAER
ZORA ATREN
C ANTISTIVS · VETVS
M SVILLIO NERVLLINO COS a. 803
MIRO · AVG · L · PICTOR
FELIX · AVG · L · IVSCVL
ANTEROS TEGVL
EVPHEMVS . . ALLAN DISPEN
IANVARIVS P . . TOR ·
APOLLONIVS · ATR
TI CLAVDIO AVGVSTO V
SER CORNELIO · OR . HITO COS a. 804
NIMPHIVS · DEL . . . AN · SVBVIL
AGATHOPVS · ON . EM MEDIC
S · E S · TOP · L
IVLALLA ACORINT
PECLAR · II
DIVAE AVGVSTAE · L MED
VS FAVON THER

9. intra annos 804—807

D ANTONIAI
AVGVSTAI
DRVSI
M · SACERDOTI · DIℲI
AVGVSTI
G · MATRI · TI · CLAVDI
CAISARIS · AVG · P · P

IVLIAI · AVG
AGRIPPINAI
GERMANICI
CAISARIS F
TI · CLAVDI · CAISAR
AVGVSTI ·
PATRIS PATRIAI

NERONi
CLAVDIO AVG · F · CAISAari
DRVSO · GERMANICo
PONTIF · AVGVRI XVℲIR · S · f
VIIℲIR [redacted] EPVLONI
CO[redacted] desig.
PRINCIPI IVℲENTVTIs

9. Or. 650 — Romae — Descripsi — A sinistra parte honorarius titulus Drusi, patris Claudii, absumptus est — Ad hanc inscriptionem ab ipso Claudio profectam etiam duo quae subsecuntur fragmenta 10 et 11 eodem loco reperta adiungi oportet:

10. intra annos 804—807

o CIT A Ⅎ I A I
ti· CLAVDII
CAISARIS
AVGVSTI · P · P

11. intra annos 804—807

g ERMANICO
CAISARI
ti· AVGVSTI · F
d IℲI · AVGVSTI · N
d IℲI · IVLII · PRO · N
a VGVRI · FLAM · AVG
COS · $\overline{II}$ · IMP · $\overline{II}$ ·

12. intra annos 804—807

SEX · POMPeius · s · f
TRIB · MIL · $\overline{II}$ · ℲIr · quinq · flam
DIVI · AVG · NERONIs · caes · $\overline{II}$viri · quinq.
PRAEFECTVS · TESTAmento · fieri · iussit
POMPEIA · MVMMI f · uxor · eius
..... SVMMA · PORTICVM · MARmoratam
cum chalcid · CRI · ALBÁRIO · ADIECTA pecunia
. . . . QVINQ · PASSVum · f · c

---

10. Grut. 238, 6 (Or. 650 n. 4) — Romae

11. Grut. 236, 4 — Romae

12. Grut. 172, 2 'Smetius vidit' — Praeneste

Cl. Dausquius orthograph. p. 25 'Praeneste fragmentum: DIℲI · AVG · ' exstare et Nahmmacherus de literat. Rom. p. 206 'Praeneste aliquo in fragmento DIℲI · AVG · NERONI' legi tradidit. Num Dausquii verba ad hanc quam perscripsimus inscriptionem referenda sint mihi non constat, sed Nahmmacherum ad eam respexisse elucet. Suaresius Praenest. ant. lib. I c. 20 DII · AVG · NERON · v. 3 exhibet cf. Cecconii Storia di Palestr. p. 171. Sed Smetii auctoritatem pluris facio quam Nahmmacheri et Suaresii

13. intra annos 803—807

. . . . . T SEXTIVS · AFRICANVS · AELius · lamia · m · valerius
mESSALLA
IIII · K · IVLIAS · IN · CAPitolio · l · vitellius · magister
coNLEGI · FRATRVM · ARVALIVM · Nomine · vota · nuncupavit · pro valetudine
neRONIS · CLAVDI · DRVSI · GERMAn · caes · praeunte . . . . . in e · v · q · i · s · s
iuPPITER · OPTIME · MAXIME · TE · PRecamur · atque · obsecramus · uti
tV · NERONEM · CLAVDIVM · SVBOlem · agrippinae · aug · imp · claudii · germ

14. intra annos 802—807

IVLIAE · AVGVSTAE · GERMÁNICI · CAISARIs · fil
AGRIPPÍNAÍ
tI · cl · cAISAris · aug
germanici

15. intra annos 800—807

CICNVS · TI · CLAVDI · CAISARIS
SER · FECIT · SIBI · ET
MARCIAE · MARVLLAE
CONTVBERNALI · SVAE · BENE
MERENTI · VIXIT · ANNOS · XXVIII

16. intra annos 800—807

DEOS CVRIALES
GENIVM · TI . CLAVDI
CAISARIS · AVGVSTI
PP · CVRIAE · ASERNIAE
A · AVILLIVS · ACANTHVS · DICTATOR
M · IVNIVS · EVTICHVS · DE · SVOPOSVER —ES

17. intra annos 800—807

. . . S · C
CENSORES
LOCA · A · PILIS · ET · COLVMNIS
QVAE · A · PRIИATIS
POSSIDEBANTVR · CAVSA
COGNITA · EX · FORMA · IN
PVBLICVM · RESTITVERVNT

---

14. Henz. III. vol. Or. n. 5387 — Caere

15. Murator. 995, 10 — Romae — Descripsi

16. Henz. III. vol Or. 5772 — Caere Centumcellas translatus titulus — Num v. 6 in lapide EVTICHVS est?

17. Maffei. Mus. Ver. 306, 7 (Or. 3133) — Romae — v. 4 QVAI emendandum esse p. 21 suspicatus sum

18. intra annos 800—807

SP · TVRRANIVS · L · F · SP · N · L · PRO · N · FAB
PROCVLVS · GELLIANVS ·
PRAEF · FABR · II PRAIF · CVRATORVM · ALℲEI
TIBERIS · PRAIF · PRO · PR · I · DIN · VRBE · LAℲINIO
PATER · PATRATVS · POPVLI · LAVRENTIS · FOEDERIS ·
EX · LIBRIS · SIBVLLINIS · PERCVTIENDI · CVM · P · R
SACRORVM PRINCIPIORVM · P · R · QVIRIT · NOMINIS
QVELA TINI · QVAI · APVDLAVRENTIS · COLVNTVR ·
FLAM
DIALIS · FLAM · MARTIAL · SALIVS · PRAISVL · AV-
GVR PONT
PRAIF · COHORT · GAITVL · TR · MIL · LEG · X
LOC · D · D · D ·

19. intra annos 800—807

M · CERNITIO
M · F · ℲEL · POLLION
II · ℲIR · BIS · AVGVS
ET CERNITIAE M · L
NYMPHIN · CONC
EIVS · PHIALE L
D · S · F ·

20. intra annos 800—807

M · ℲARENVS · CLARI · L · tYRANnus
AMPHITEATRI · PARTEM · DIMIDiAM · IN · SOlo · suo · f · c

21. intra annos 800—807

C · PROCVLEIVS · PILADES
SIBI · ET · IVLIAE · PHAÉNVSAE
ET · DENATEN · VXORI SVAE
ET SVIS

18. Momms. I. N. 2211 (Or. 2275) — Pompeis
Descripsi e literarum imagine Gervasii libello 'intorno alla iscr. Puteolana de' Luccei osservazioni' p. 52 addita. cf. Huschkius 'Syntrophi instrum. donationis' p. 54 et in primis Henzenius Ephem. lit. Ienens. 1847 p. 242—251

19. Donat. supplem. thes. Murator. I p. 88, 7 (Or. 3812) — Cinguli

20. Cecconi Storia di Palestr. p. 70 — Praeneste

21. Momms. I. N. 6618 coll. 'Corrigend.' p. XXIV col. 3 — Neapoli

22. intra annos 800—807

. . . . . M
. . . . . LAVD . . . .
. . . . . EXPECTA . . . . . .
. . . . . IRIBIVSC . . . . .
. . . . . PANVS C . . . . .

23. intra annos 800—807

L · VETVRI · ZOPHRI
L · PINARIVS · RVFVS
DEDIT · OL · I · QVAE · FVIT
L · VIRIASI · LALI

24. intra annos 800—807

DORVS · CAESARIS · Ɑ

III

25. dIs · manibus || ti · claudius || dIaI · claudI · lIb || dipterus || vestificus · caesar || a · veste · scaenica || claudia · lycoris || fecit · coniugi · suo · et || sibi · et · suis ||

26. secundus · Ɑixit · men · VIIII · dies · XXVI || petronianoe · soror · eius || Ɑix · annum · mens · III · dies · XII || hic· sepulti · sunt ||

---

22. Momms. I. N. 857 — Venusiae — v. 2 CLAVDIAE (vel CLAVDIAI) et v. 4 EVRIBIVS fuit

23. Iahn. specim. epigraph. p. 43 n. 171 — Prope Romam in columb. mai.
Etsi ZOPHRI aperte in monumento Aemilium Huebnerum legisse Henzenius ante hos paucos dies ad Iahnium scripsit, restituendum tamen etiam nunc ZOPIRI nomen esse suspicor, quippe quod quadratarius cum non intellexisset in ZOPHRI mutaverit

24. Fabrett. 473, 118 'ex schedis Barberinis' — Videtur hoc fragmentum genuinum esse

25. Grut. 578, 7 'e msc. codico Celsi Cittadini — Romae in loco dicto Aila Vaile' — Non fictam inscriptionem esse ab aliis doceri velim. cf. p. 28

26. Fabrett. 473, 119 'ex schedis Peniae'

27. c · allio · c · f · fab · luc · veter · leg · XX · || c · allio · prisco · Ⅎ · ann · XL · || c · allia · l · l · methe || patrono et filio viva benemerenti || in fr · p · X · in agr · p · XVI · || et · c · allio vitali filio ||

28. c · salvia || p · plinio f · || infelix · mater · || salve · aeternum · f · mi || Ⅎixit · ann · XX · men · IX · || dies · XVI ||

29. iovi · optimo · maximo || iunoniq · oxori · ob · tres · Ⅎictorias · e · tribus || maxumis · carthaginensium · imperatorib || partas || p · scipio · victor · templon · posuit || apud · basulam · fluvium · hisp ||

30. sempronius · luscus · sabinus || carthaginiensis · templon · eo || loco · fecit · qoo · castra · romana || fuerant · octavo · postea · anno || qoo · p · scipio · carthaginem · novam || caepit · ante · qood · meom · sepulcron || feci · qood · heredes · non · s · sola || uxor · et · lelia · scquatur · qoae || ⅎiⅎa · remansit · charior · mihi || Ⅎita · mea ||

31. c · tibulla · c · sempronii · f || l · mani · neptis || inferno · plotoni || charae · oxori · proserpinae || tricipitique · cerbero || munus · mecum · ferens || damnatam · dedo · animam || ⅎiⅎamque · hoc · me · condo · monumento || ne · obrutis · domos · lapsu · filiis · sex || qos · p · scipio · patriis · camert || a · salo · et · libia · incolumes · restituerat || indesolata · orbitate · supersim · misera || Ⅎix · ann · XXXX · m · II · di · VIIII · horas · scit · nemo || posteri · non · invideant · qui || secos · manes · sentiat · iraTos || Ⅎale · Ⅎita || in · fr · p · XV · in · ag · p · XX ||

Praeterea commemorandum videtur commentum istud quod Angelus Roccha bibliotheca Vaticana p. 140 tradidit 'Tertia huius parastaticae columnae facies Claudium Imperatorem habitu imperatorio indutum, laurea ornatum, librum manu gestantem, triumque literarum apud Latinos inventorem repraesentat. — Una tantum

27. Reines. syntagm. insc. cl. VIII n. 7 'e schedis Langermannianis — Iaderae in foro'

28. Reines. cl. XII n. 78 ex Polyc. Palermo 'de vera C. Plini patr.' — 'Apud Scodram'

29. Grut. 'Spuria ac Supposititia' 1, 6 'e Morali — Ap. Carthaginem novam'

30. Grut. 'Spur.' 3, 5 'e Morali — Celtiberiae'

31. Grut. 'Spur.' 3, 4 (Or. 4898) ex Luisino — 'Camerini inventum'

litera [F] supra Claudii caput cernitur: ad cuius pedes haec legitur inscriptio: *Claudius Imp. tres novas litteras adinvenit.*' Neque id nunquam factum est ut memoria lapsi Claudianarum literarum exempla perperam ederent, velut si idem Roccha p. 142 'in spectationibus antiquis digamma cerni sic: OCTAℲIVS et OCTAℲIA' rettulit, quamquam unum oCTAℲIAI nomen in decima inscriptione reperitur. Denique decipi eis quemquam nolim quae apud Ruhium spec. I. philol. numism.-lat. p. 44 leguntur 'quoddam aeris fragmentum quod M. Baudelot de Dairval in elegantissimo libro *de l'utilité des voyages* aeri incisum exhibet in quo una cum aliis tribus notis digamma nostrum Claudianum distincte cernitur. In eruendo notarum sensu Baudelotius magnopere se torquet et diversimode istas explicat. Legi enim vult vel *hovans centuria* vel *hovatio centuriae* seu *centurionum*, vel *io victoria centurionum* vel *iovi ob victoriam centurionum* vel *iovi ovabit victrix centuria* vel *iovi ovans vincet centuria* et si quae plures sunt incertae eius coniecturae. Sufficit nobis exinde literam adnotare Claudianam, prae reliquis ibi noscibilem.' Postquam enim aeris illius imaginem a Baudelotio additam (II tab. 2 fig. 5) inspexi, digamma omnino non posse intelligi solis luce mihi videbatur clarius.

Elberfeldae expressit Sam. Lvcas.

In demselben Verlage ist ferner erschienen:

T. Macci Plauti Comoediae. Ex recensione et cum apparatu critico Friderici Ritschelii. Accedunt Prolegomena de rationibus criticis, grammaticis, prosodiacis, metricis emendationis Plautinae.

Bis jetzt erschien: Tom. I. fasc. 1. Prolegomena et Trinummus [illegible] Thlr. fasc. 2. Miles gloriosus: 1 Thlr. fasc. 3. Bacchides: 1 Thlr. Tom II [illegible] 1. Stichus: 1 Thlr fasc. 2. Pseudulus: 1 Thlr. fasc. 3. Menaechmi. 1 Th[illegible] 4. Mostellaria: 1 Thlr. Tom. III. fasc. 1 Persa: 1 Thlr. fasc. 2. Mercator [illegible]r. Demnächst folgen: Poenulus, Rudens, womit Tom. III. geschlossen [illegible] as ganze Werk wird in 5 Bänden vollständig sein.

Von der Editio minor: „T. Macci Plauti Comoediae. Scholarum [illegible] um recensuit Fridericus Ritschelius" kostet jedes Stück 5 Sgr.

Aeschyli Septem ad Thebas ex recensione G. Hermanni [illegible] scripturae discrepantia scholiisque codicis medicei. Scholarum in usu[illegible] didit Fridericus Ritschelius. 8°. Preis 16 Sgr.

Huschke, Ph. Eduard, Ordentlicher Professor an der Universität Breslau etc. etc. **Die Oskischen und Sabellischen Sprachdenkmäler.** Sprachliche und sachliche Erklärung, Grammatik und Glossarium. 28 Bogen. gr. 8° Mit 3 Tafeln. Preis brochirt 3 Thlr.

Dieses Werk kann für die bezeichneten Sprachdenkmäler als eine Weiterführung der Th. Mommsen'schen Arbeit über die „Unteritalischen Dialekte" betrachtet werden. Das Material der Inschriften erscheint vermehrt, und hinsichtlich der bisher noch sehr mangelhaften Erklärung hat es sich der Verfasser zur Aufgabe gestellt, sie in sprachlicher und sachlicher Beziehung möglichst so weit zu fördern, dass diese Inschriften eben so wie die der klassischen Sprachen in die Alterthums- und Sprachwissenschaft lebendig eingreifen können. Das Buch wird daher für den Rechtshistoriker, Alterthumsforscher und Philologen von gleichem Interesse sein.

Liber arabicus de transitu beatae Mariae virginis. Ex recensione et cum interpretatione Maximiliani Engeri. 128 Seiten. gr. 8° Brochirt. 1 Thlr.

Diese bisher noch unbekannte Schrift über den Tod und die Himmelfahrt Mariens, die dem Evangelisten Johannes zugeschrieben wird, enthält eine ausführliche Darstellung dieser alten christlichen Legende. Durch die hinzugefügte Uebersetzung des arabischen Originals und eine Einleitung, di[illegible] besonders auch den Ursprung und die Abweichungen der Maria-Legenden [illegible]cksichtigt, hat sie namentlich grosses Interesse für Theologen.

Shakspere's Werke. Herausgegeben und erklärt von Professor D[illegible] Nic. Delius. Lex.-Format. **II.** Bd. 4. Stück: **Coriolanus.** 16 Sgr

Von dieser Shakspere-Ausgabe, der einzigen, welche dem Deu[illegible] die Lectüre des grossen Britten in der Originalsprache möglich [illegible]d deren meisterhafte Ausführung die Kritik schon so glänzend anerk[illegible] hat, liegen bereits folgende Stücke vor: Hamlet (24 Sgr.), Othello [illegible]gr.), King Lear (20 Sgr.), Macbeth (18 Sgr.), Timon of Athens [illegible]), Titus Andronicus (18 Sgr.), Romeo and Juliet (16 Sgr.) [illegible] belyne (16 Sgr.), Troilus and Cressida (16 Sgr.)

Jedes Stück wird von jetzt an nur 16 Sgr. kosten u[illegible]h wie vor auch einzeln zu haben sein.

Pseudo-Shakspere'sche Dramen. Herausgegeben und [illegible]tet von Professor Dr. Nicolaus Delius. Preis 1 Thlr.

Inhalt. Eduard III. Arden of Feversham. The birth of [illegible]n. Genannte drei Shakspere zugeschriebene Dramen sind weder in [illegible]and noch Deutschland seit langer Zeit mehr zu haben und dürfte daher d[illegible] von so anerkannt kundiger Hand besorgte Ausgabe allen Freunden des [illegible]rs willkommen sein. Einzelne Stücke kosten 15 Sgr.

Die äussere Ausstattung beider Werke ist durchaus [illegible].

Dr. Karl Bartsch, Provenzalisches Lesebuch. Mit **einer literarischen Einleitung und einem Wörterbuche.** 1[illegible] Lex.-Format. Elegant ausgestattet. Preis $1\frac{1}{3}$ Thlr.

Bei dem entschiedenen Mangel an einer, mit neuen Manuscripten ve[illegible] tüchtig bearbeiteten und nicht zu weitläufigen provenzalischen C[illegible] mathie wird dieses Werk ein Bedürfniss befriedigen, das sich bei [illegible]or-schern der neuern Sprachen schon seit langer Zeit fühlbar gemacht [illegible] Es ist von competenter Seite als das Vorzüglichste bezeichnet, was [illegible] diesem Fache geleistet wurde.